DE ENUNTIATIS CONCESSIVIS APUD PLAUTUM ET TERENTIUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS KRIEGE
SAXOBORUSSUS.

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.
MDCCCLXXXIV.

„Res sive causa, quae ei quod fit non respondet, sed contrarium agens nihil tamen impedit, quominus hoc eveniat, ea enuntiatione exprimitur, quam concessivam vocare solemus.“ [1])

De harum enuntiationum apud Plautum et Terentium usu, cum, qua lege illi in eiusmodi enuntiatis uterentur, exemplis in ordinem satis perspicuum redactis nondum expositum esse vidissem, ego accuratius quaerere constitui.

Jam de eis disseram enuntiatis concessivis, quae formantur particulis concessivis. [2])

Atque in parte prima de eis enuntiationibus disputabo, quae condicionaliter, in altera de eis, quae relative formantur, tertia pars est de eis, quae per ‚licet' et ‚quom' elatae sunt (Draeger, hist. Synt. §§ 563—570).

---

[1]) Hand, Tursell. II p. 588. Kühner, Ausf. Gram. d. lat. Spr. II p. 957.

[2]) Quamquam non raro alia ratione sententia concessiva exprimitur:

a) enuntiatione principali altera alteri opposita velut Capt. 616.[3]) Casin. II 4, 23. Men. prol. 11/12 (cf. Brix. ad h. l.). Pseud. 468. Adelph. 141; 188.

b) participio velut Casin. prol. 20; 63. Mil. 1341. Stich. 99.

c) ablativo absoluto velut Mil. 866. Epid. 585.

d) praepositionibus velut *inter* Stich. 679. *praeter* Andr. 879. *in* Capt. 404. Andr. 94. *sine* Stich. 353. Epid. 826.

[3]) In exemplis afferendis editiones secutus sum: Ritschelii Trin. Mil. Bacch. Pseud. Men. Most. Pers. Epid. Curc. Asin. Truc. Aul. Amphit. Merc.[2] Stich.[2] Poen. Fleckeiseni Capt. Rud. Gepperti Casin. Weisii Cistell., Umpfenbachii Ter.

Pars I.

De sententiis concessivis condicionaliter formatis.

Enuntiatis condicionaliter formatis ita exprimitur sententia concessiva, ut, quod in causa repugnare concedatur, ponatur tantum esse et condicioni submittatur.[1]) Inserviunt autem huic rationi hae particulae:

si	apud Plautum[2])	*bis et sexagies*
	apud Terentium	*undecies*
etiam si	apud Plautum	*semel*
	apud Terentium	*bis*
etsi	apud Plautum	*ter et vicies*
	apud Terentium	*bis et vicies*
tamen etsi	apud Plautum	*quater*
	apud Terentium	*semel*
tametsi	apud Plautum	*septies decies*
	apud Terentium	*quater.*

Opponuntur in enuntiato primario: ,at', ,tam'[3]) apud Plautum, apud utrumque: ,tamen', apud Terentium ,at tamen', ,verum tamen'.

Quae tamen particulae neque apud Plautum neque apud Terentium opponuntur sententiis per ,etiam si', ,tamen etsi', ,tametsi' elatis.

De temporum et modorum ratione vide singula.

Si.

Haec particula coniunctionis concessivae vice fungitur locis sexaginta duobus apud Plautum. Addita sunt apud Plautum verba ,quidem' Asin. 318. Mil. 189, cui adicitur praeterea ,hercle' Asin. 405. Pseud. 628. Most. 229 Asin. 414. Rud. 1361. Curc. 211. — hercle Most. 912, 914. — ecastor

---

1) cf. Hand l. c.

2) cf. J. Rothheimer, de enuntiatis condicionalibus Plautinis. Göttingen 1876. p. 6. Holtze, synt. prisc. script. lat. p. 370.

3) De particula tam (tamen) cf. *Braune,* observationes grammaticae et criticae ad usum ita, sic, tam (tamen), adeo particularum Plautinum ac Terentianum spectantes. Berl. 1882. p. 41 sqq.

Truc. 315. — adverbium ‚maxume' Rud. 1353, quibus aliquam rem quacumque condicione sive certissime fieri maxima cum vi affirmationis conceditur.[1])

Indicativus sequitur locis uno et viginti, coniunctivus uno et quadraginta.

A. Indicativi exempla sunt haec:

1. Praemittitur sententia concessiva: Mil. 631. Si álbicapillus híc videtur, ne útiquam ab ingenióst senex. — Sic scripsi Brixium secutus. Atque ‚albicapillus' ex codice C iam Bothius in textu posuit. ‚albus capillus' praebent codd. BFZ ‚albis capillus' D, ‚albet capillus' apud Nonium p. 456 traditum est. ‚ne utiquam', quod legitur in C, cum Fleckeiseno et Brixio recepi, quem vide ad Mil. gl. v. 599. ‚ab ingeniost senex' Scioppio debetur. Codd. habent: ibi ingenio senex BcCDa. ingenio senex Ba. — Nonius l. c. exhibet: ‚ab ingenio senes', qua lectione adductus Kochius in mus. rhen. t. 25 p. 620 commode coniecit: ‚ab ingenio senet'. cf. tamen Brixii adnot. ad hunc versum (ed. primae p. 142). — Men. 1060 sq. Codices praebent: Si voltis per oculos (occulos C) iurare, nihilo hercle ea causa magis Facietis (fatietis B) ut ego hodie abstulerim (abstulerẹm C) pallam et spinter (spinter Z spinther rell.) pessumae (pessume F pessime DZ possime C pes^si^mae B). Ritschelius, cum veri simile non esset, a tribus iambicis octonariis (1060—62) hanc scenam exorsam esse, trochaicos septenarios hos versus esse voluit consentientibus Fleckeiseno et Brixio. Iam in v. 1060 ‚si voltis' teneri non posse in promptu est. Itaque Ritschelius proposuit: ‚Súltis per oculós iurare, níhilo hercle ea causá magis'. — Qua in emendatione non posse ferri illud ‚sultis' sequente Infinitivo ‚iurare' ex usu Plautino demonstravit Luchsius in Hermae t. VI (a. 1872) p. 275. Nec magis probabilem esse Muelleri coniecturam (Nachträge p. 129) ‚sultis, per oculos iurate' idem Luchsius l. c. docuit. Qui ipse scribendum esse putat: ‚si vel per oculos iuretis'. ‚Voltis' autem ortum esse existimat ex ‚vel' et literis ‚tis', quas

---

[1]) cf. Hand III p. 598.

supra iurare scriptas librarius invenisset. Et maxime mihi probatur haec Luchsii emendatio, praestare tamen videtur, quod Brixius scripsit, quem sequor: Sí vel per oculós iuratis, níhilo hercle ea causá magis | Fácietis ut ego hódie abstulerim pállam et spinter, péssumae (Men. 1880³ p. 108). Amph. 908. — Pseud. 628 sq. Si quidem hercle etiam supremi promptas thensauros Jovis, Tibi libellam argenti numquam credam. — ‚Promptas', quod in versu 628 omnes codices praebent (nisi quod ‚prompta' C prõpta D) et quod etiam in A esse visum est, tenendum esse censeo cum Rothheimero l. c. p. 5, cui astipulatur etiam Langenus (Beiträge zur Kritik und Erklärung d. Pl. Lpzg. 1880) p. 54. — Acidalium secuti ‚promptes' in textum receperunt Ritschelius, Fleckeisenus, Lorenzius. — Rud. 1353. Si máxume illum míhi reddiderit vídulum, | Non égo illic hodie débeo trióbolum. — Pro ‚illum mihi' in versu 1353 Muellerus pros. plaut. p. 340 legi vult: ‚mi illum'.

Exemplis adhuc allatis opponitur sententiae concessivae enuntiatum negativum. Affirmativam formam praebet enuntiatio principalis his locis: Asin. 405 sq. Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit, Si med iratus tetigerit, iratus vapulabit.

Sic libros secutus scripsi cum Goetzio Loewio. Alium versuum 403—6 ordinem esse voluerunt Fleckeisenus, Ussingius, alii. Iam, ut ad singula aggrediamur, ‚cedit' in v. 405 pro ‚incedit' (incidit D) librorum posuerunt Scaliger, Gronovius, Bentleius. In v. 406 ‚si med iratus' codd. ED praebent; ‚si me iratus' BIFZ [1]), unde profecti Acidalius, quem Fleckeisenus secutus est, ‚Set si me iratus' Reizius ‚Iratus si me' proposuerunt. — Mil. 747. — Most. 229. Si quidem hércle vendundust pater venibit. — cf. de hoc versu Lorenzii adnot. (v. 220 L) p. 246¹. — Trin. 507. Sed si haec res graviter cecidit stultitia mea, Philto, est ager sub urbe hic nobis. — ‚Hic' versus 508 in A deest, legitur in BCD. Atque codicis Ambrosiani auctoritate nixus vocem ‚hic' delevit Fleckeisenus, ep. crit. ad Ritschelium p. XXIX,

---

[1]) cf. Ritschl. nov. exc. Plaut. p. 26.

consentiente Ritschelio. Ego tamen cum Brixio (trin. 1879^3 p. 139) retineo ‚hic' collato imprimis Ter. Ad. 949.

Poen. 374. Si ánte quid mentítust, nunciám dehinc erit veráx tibi. — ‚quid mentitust' veram esse scripturam codicis A auctoritate docemur. Ex codicum — B ‚quidem entitus sit' CDFZ ‚quidem mentitus sit' — lectione Camerarius antea eruerat ‚quidem mentitus est', Bothius ‚quidem mentitust.' —

‚nunciam' quod est in libris in ‚at iam' vel ‚at nunc' mutari voluit Ritschelius, ego Goetzium Loewium secutus sum. — Minus mihi probatur Muelleri emendatio, qui transposuit l. c. p. 107:

mentitus est, dehinc vérax tibi erit núnciam.

2. Media interponitur: Sententia enuntiationis primariae negativa est. Capt. 529 Neque iám Salus serváre, si volt, mé potest: nec cópiast[1] ... — Septenarium iambicum volui esse hunc versum cum Studemundo, de cant. Plaut. p. 77, cf. Brixium ad h. l. Capt. 1876^3 p. 96.

3. Sequitur; enuntiatum primarium negativam formam habet: Amph. 1051. Neque me Iuppiter neque di omnes id prohibebunt, si volent. — ‚volent' codices omnes exhibent, nisi quod ‚volent' ex ‚volint' I ‚volunt' Z praebet. Lambinus scripsit ‚velint.'

4. Opponitur in enuntiato principali a) *tamen* Capt. 223 sqq. Nam sí erus tu mi es átque ego me
tuom ésse servom adsímulo,
Tamen víso opust, cautóst opus, ut hoc
sóbrie sineque arbitris
Adcúrate agátur, docte ét diligenter.

Versuum 223/24 metrum esse iambicum, perspexit Studemundus de cant. p. 69. ‚*Nam*' in v. 223, quod est in libris, tenendum esse existimo cum Brixio nec scribendum cum Muellero pros. p. 299 ‚Nunc'. ‚tu mi es' scribo Studemundum et Brixium secutus, codices habent ‚mihi es tu', quod G. Hermannus in ‚tu mihi's' mutavit, consentientibus Fleckeiseno et Muellero l. c. — Cist. I 1, 69. —

---

[1]) De ‚neque = ne-quidem' ‚si = etsi' vide Brix. ad h. l. (v. 527).

Mil. 306. Nunc si indicium facio, interii: si taceo, interii tamen, Si hoc palam fuerit. ‚interii' quod cum Ritschelio Camerarium secutus post ‚taceo' posui, deest in codicibus, sensu tamen poscitur. Iam ante ‚si taceo' locum esse verbo ‚interii' arbitrati sunt Klotzius nov. ann. phil. suppl. 42 p. 464 et Hauptius Herm. a. 1868 p. 148 probante Brixio Mil. glor. (1875) p. 137. Sed cum, ubicumque ‚tamen' ultimum sententiae locum obtinet, ita fere verba ordinata sint, ut verbum illud, ad quod haec particula vi sua proxime spectat, statim ante hanc ipsam particulam legeretur[1]), praestare mihi videtur Camerarii ‚si taceo, interii tamen'. — Rud. 1361. —

Addendus est his locis Stich. 695: codd. praebent: ad nos nostros amiolo ABCD at nos nostro samiolo F et (nisi deleta voce *at*) Z poterio tamen vivimus nos tamen efficimus pro opibus nostra moenia BCDZ cum A tamen vivimus nos efficimus F. Ritschelius cum ‚vivimus', quod est in codicibus, in ‚bibimus' recte mutavisset probante etiam Muellero l. c. p. 474, pro ‚tamen vivimus nos tamen' scribendum esse censet ‚si nunc bibimus, tamen', qua in emendatione, quam secuti sunt Fleckeisenus et Goetzius, acquiescendum esse puto. Minus tamen mihi placet, quod, cum Z deleto ‚at', Ritschelius scripsit in versu 694. Immo retinendum est ‚at', quod optimorum codicum auctoritate confirmatur et quod nuper defendit Leo in Herm. vol. XVIII p. 587. Quare scribo:

... Bátiacis bibunt, át nos nostro Sámiolo potério,
Sí nunc bibimus, támen efficimus pro opibus nostra moénia.

De Muelleri coniectura (pros. p. 474) ‚Tametsi bibimus, tamen' vide infra p. 31.

cf. Poen. 51 sin odiost, dicam tamen.

Inverso ordine et ita ut enuntiatio primaria negativa sit Casin. IV 2, 16, quem cum Gepperto e Dousae coniectura scribo:

Qui amat tamen hercle, si esurit, nullus esurit. codd. praebent ‚nullum'.

---

[1]) cf. Holtze, syntaxis prisc. script. Lat. p. 349.

De Persae v. 362, ubi ,Tamen si daturus non est' scripserat Ritschelius, vide infra p. 27.

Addo duo exempla, ubi alterum verbum particula ,sive' adiungitur, sequente particula tamen:

Curc. 4 sqq. Si media nox est sive est prima vespera,.. Tamen est eundum quo inperant ingratiis. — Truc. 832. — b) at [1]) Enuntiatum principale negativam formam praebet. Men. 746. Si me derides, at pol illum non potes.. —

B. Coniunctivum praebent haec exempla:

1. Praemissa sententia concessiva. Negativam formam enuntiatio primaria habet his locis:

Amph. 450. Quadrigas si nunc inscendas Iovis Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Asin. 164. Solus si ductem, referre gratiam numquam potes. — Sic scripsi libros secutus cum Goetzio Loewio nec mihi placet Balbachii coniectura, qui obs. crit. p. 6 pro ,si' legi voluit ,nisi'. — Ib. 414. — Aul. 100. — Aul. 555 sqq.

Quos si Argus servet, qui óculeus totús fuit,
Quem quóndam Ioni Iúno custodem àddidit,
Is númquam servet.

Versum 556 a Plauto abiudicat et a lectore grammatico additum esse censet Wagnerus, de Plaut. Aulul. p. 11. cf. eiusdem edit. Aul. 1866. Simillimus enim versus Atti ex Ione tragoedia exstat apud Priscianum VI. p. 685 P. ,custodem assiduum Ioni apposuit virgini': apud Ribbeckium Trag. lat. rell. p. 157. — ,Iuno' post ,Ioni' excidit apud Nonium (p. 487, 18).

Curc. 211. libri praebent: si quidem hercle mihi regnum detur numquam id potius persequar.

Defendit hanc librorum lectionem Brixius de Pl. et Ter. pros. p. 25 (Bresl. 1841). Malo tamen cum Goetzio scribere:

Si équidem hercle mihi régnum detur, númquam id
potius pérsequar.

Minus mihi probantur coniecturae Guyeti, qui, quod sensu poscitur, ,mihi' delet sequente Luchsio, in Herm. vol. VIII (a. 1874) p. 122, et Bothii, qui interposita vocula

---

[1]) cf. Holtze p. 344.

,mi' dirimit verba ,quidem hercle', quae fere non dirimuntur. cf. Asin 405; 415. Pseud. 628 (Luchs. l. c. p. 121 sq.) Curc. 449 sqq. — Quía enim in cavea sí forent

Conclúsi illi itidem ut púlli gallinácei,
Ita nón potuere uno ánno circumírier.

In versu 450 libri exhibent ,conclusi itidem ut pulli g'. Iam ut versum sanaret Ritschelius nov. exc. Pl. p. 114 scribi voluit ,conclusis itidem sqq.' verbo ,sunt' post ,ut' inserto Pylades ,conclusi itidem ut sunt p. g.' Ego cum Goetzio Fleckeiseni recipio coniecturam ,conclusi *illi* sqq.', praesertim cum desideretur eiusmodi vocula in oratione Lyconis. Epid. 610 sq.

Si úndecim deos praéter sese sécum adducat Iúppiter,
Íta non omnes éx cruciatu póterunt eximere Épidicum.

,Ita' quod libri cum A praebent in versu altero Luchsius in Herm. vol. VI (a. 1872) p. 275 mutandum esse existimat in ,tam' vel ,tamen'. Sed retinenda est particula ,ita', quae et codicum auctoritate et eo defenditur, quod enuntiato concessivo per ,si' elato sententia principalis eadem particula ex adverso ponitur Amph. 450, Curc. 449, addito ,tamen' Cist. I 1, 29. — Bacch. 697. Quem si ego orem, ut nil mihi credat, id non ausit credere. — ,ego', quod in libris deest, Hermanno debetur; ,nil mihi' cum Ritschelio scripsi secundum codicis C lectionem ,nihil mihi' (mihi nihil rell.). —

Most. 243 sq. Edepol si vel summo Iovi eo argento sacruficassem,
Pro illius capite quod dedi, numquam aeque id bene locassem.

In v. 243 pro ,eo', quod cum Lorenzio scripsi Ritschelii emendationem secutus, in libris legitur ,bo' vel ,iovi' vel ,vivo', unde etiam ,illo' elici posse recte adnotat Muellerus pros. p. 291. — Non mihi placet, quod Buggius (edit. Mostellariae Krist. et Berol. 1873) coniecit deleto verbo ,vel' et duobus vocabulis erutis e codicum scriptura: Edepól si summo Ióvi bovem íllo argento sacruficássem...

Most. 912 sqq. si hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro istis praesentaria,

Numquam accipiam. — Particula ,si' deest in codicibus et recte a Camerario in textu posita est, quem secuti sunt Ritschelius et Lorenzius. Neque enim astipulari possum Rothheimero, qui l. c. p. 13. putat, a voce ,hercle', initium cepisse hanc sententiam. — Eidem Camerario debetur ,accipiam', codices enim exhibent: accipiem (BCDF) accipiet (Z) acciperem (codd. Pyladis).

Most. 914. si hercle accipere cupias, ego numquam sinam. Si hercle' codices habent Pyladis, si erete BC si erecte D rell. — ,cupias' scripsi Camerarium secutus cum Ritschelio et Lorenzio pro ,cupies' codicum. — Truc. 315. Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam Tam esse tristem posse. — Pro ,senapi' codicum BCD scribendum esse ,sinapi' codicis A auctoritate docemur.[1])

Truc. 527/28. — codd. habent: sih plane (plame D) me ex medio mari (maria CD) savium tuum petere (Petere CD) hau (B, haud rell.) pigeat me imme (B, inme CD) in meum. — Atque e ,sih plame' vel ,plane' cum Buggius in Fl. ann. t. CIII (a. 1873) p. 411 eliceret ,si pol me', aptius videtur Luchsius in Hermae vol. VIII (a. 1874) p. 109 emendavisse ,si hercle me' quod in textum etiam Schoellius recepit. In lectione ,me imme (inme) in meum' sananda Camerarium sequor, qui exhibet: ,me mel meum', totumque scribo locum, deleta tamen voce ,me'-ex emendatione Bothii-cum Schoellio:

Si hércle me ex medió mari
Sávium tuom pétere iubeas, pétere hau pigeat, mél meum.

Trin. 962. Quoí si capitis rés sit, nummum númquam credam plúmbeum. — ,siet' librorum recte iam Guyetus in ,sit' mutavit.

Pseud. 792. Nam ego sí iuratus péssumum hominem quaérerem, Peiórem hau potui, quam húnc quem duco dúcere. — Sic scripsi Ritschelium secutus, qui in v. 792 cum codice B dedit ,ego si' (si ego rell.). Tum quod in libris legitur BaCD: ,pelorem' BbFZ: ,peiorem', e proximo versu id irrepsisse ratus, ,pessumum' idem restituit e scriptura codicum.

Sensus est negativus enuntiationis primariae: Pseud. 433.

---

[1]) cf. Graecum ,σίνᾱπι.'

Set sí sint ea vera, út nunc mos est, máxume, Quid mírum fecit? — ,sint ea vera' scribendum est cum codice A, rell. praebent: ,ea vera sunt', quod omisso ,nunc' Bentleius, mutato ordine verborum ,vera ea sunt' Camerarius ad versum accommodaverat; ,mos' omiserunt codd. CDFZ, quod tamen tutantur A et B. — Trin. 1186. — Pseud. 291. Atque adeo si facere possim, pietas prohibet. — ,possim' auctoritate codicis B nititur, rell. habent possem'.

Sententia concessiva negativam formam praebet, affirmativam enuntiatum principale. Asin. 933. — Casin II 5,6 sq. Quin, si tu nolis filiusque etiam tuus.. Una libella liber possum fieri. —

In v. 6 libri praebent ,Quid', ego Acidalium secutus cum Gepperto, Weisio scripsi ,Quin'. — Rud. 159.

Utraque sententia affirmativa est: Asin. 318. — Bacch. 128. Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet. — ,Qui' enim scribendum est cum libris nec, ,quoi', quod Bothius proposuit. — Bacch. 1045. Si plus perdundum sit, perisse satiust, Quam illut flagitium volgo dispalescere. — ,Satius est' e librorum lectione ,suaviust' B, ,suavius est' rell. eruerunt iam Scaliger et Dousa. — Merc. 694. — codd. habent: Decem si ad cenam vocasset summos viros | Nimium obsonavit (opsonavit C). — Ut trimetrum iambicum efficeret Pylades scripsit ,Decem vocasset si sqq.', Ritschelius ,si ad cenam summos vocitasset viros'. Sed in illa positio particulae ,si', in hac verbum frequentativum ,vocitare' notione ,einladen' non satis mihi placet. Nec probabilius Brixius coniecit in philol. vol. 12 (a. 1857) p. 656: ,decem si ad cenam vocasset summatis', ut dĕcĕm pyrrhichius esset, adversante Muellero pros. p. 95.

In coniectura Kochii (nov. ann. vol. 101 (a. 1870) p. 686: ,si ad cenam ucasset summatis', de forma ,ucasset' scrupulus residere videtur.

Maxime probatur Spengelii emendatio, qui in philol. vol. 23 (a. 1866) p. 675 proposuit ,si ad se vocasset summatis'. Hanc scripturam in altera h. f. editione recepit etiam Goetzius, quocum scribo:

Decém si ad se vocásset summatís viros,
Nimium óbsonavit.

2. Interposita sententia concessiva:

In his exemplis omnibus enuntiatum primarium negativam formam habet. — Aul. 254. Neque edepol, Megadore, facio, neque si cupiam copiast. — Aul. 311. — Most. 351. — Merc. 841. Ibi quidem, si régnum detur, nón cupitast cívitas. ‚cupitast' libros CDFZ, qui ‚est cupita' exhibent, secuti recte in textu posuerunt Weisius et Ritschelius, nec cur cum Muellero scribatur ‚est lubita' (cf. Nachträge p. 39) causam video. — Codicis B scriptura ‚est cupida' frustra defenditur a Salmasio. Pers. 283. — Tua quidem, cucule, causa, Non hercle, si os perciderim tibi, metuam, morticine. Sic scripsi cum Ritschelio, nec commode videntur ‚perciderim', quod libris cum A commendatur, Pius in ‚praeciderim' Pylades in ‚pertuderim' mutavisse. — Truc. 877. Factum cupio: nam nefacere si velim, non est locus. — Cum Schoellio scripsi ‚nefacere' collato Most. 124, ubi ‚neparcunt' similem compositionem praebet; cf. Lorenzium ad v. 105[1]. — Ex libris L solus habet ‚nefacere' rell. refacere, quod sensu caret et quod coniectura Geppertus (‚aliter facere') et Crainius, Zeitschrift f. Gymn. t. XX (a. 1866) p. 475 (‚secus facere') emendare studuerunt. — Mil. 803 sq. Non potuit reperire, si ipsi Soli quaerundas dares, Lepidiores duas ad hanc rem quam ego habeo. — ‚habeo', quod in v. 804 scripsi Brixium secutus, debetur Muellero l. c. p. 177.

3. Adiuncta sententia concessiva. In tribus his exemplis sententia primaria negativa est:

Bachh. 178 sq. Mirumst me ut redeam te opere tanto quaesere, Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim. — Bacch. 1004. — Casin. II 5, 15 sq.

4. Opposita in enuntiato principali:

a) particula *tam*.

Stich. 43 sqq. Et si ílli improbi sint, átque aliter
In nós faciant, quam aequómst, tam pol
Nostrís omnibus obnixe opibus
Nostrum ófficium meminísse decet.

In describendis his versibus Goetzium secutus sum, quocum etiam in v. 44 ‚In nos', quod Pio debetur, posui, libri cum A habent ‚nos' in quo latere nis (= nobis) Guyetus existimavit. ‚Nobis' legi vult Redslobius, symb. crit. ad. Pl. fab. p. 5. — Tum quod legitur in cod. A ‚tam pol' praeferendum esse puto cum Ritschelio et Goetzio scripturae reliquorum codicum, ‚tamen pol', quamquam Braunius l. c. p. 49 contendit, enuntiationibus concessivis elatis particula ‚si' numquam opponi ‚tam' in enuntiato principali. — Versum 45 ita exhibet A: ‚ne quid magis sit omnibus obnixe opibus', BCDFZ habent: ne quid magis simus sq. Ut rectum versum efficerent alii alia coniecerunt. Quorum omnium maxime mihi probatur Spengelii coniectura, qui-Reformvorschläge p. 415 — initium huius versus ‚ne quid magis sit' ex v. 7 huc pervenisse ratus, proposuit, id quod Goetzius recepit: ‚Nostrís' omnibus obnixe opibus..

Aliter totum hunc locum (vv. 39—47) tractavit Muellerus l. c. p. 422.

b) particula *tamen*. Sententia est negativa: Cist. I 1, 29. Si idem nos faciamus, si idem imitemur, ita tamen vivimus vix Cum invidia summa...

Metrum cum Muellero pros. p. 94 troch. octon. esse puto, quocum etiam transposui ‚vivimus vix'; libri habent: ‚vix vivimus'.

Sed in eo sequi Muellerum non possum, quod ‚si... imitemur!' exclamationem esse interpretatur et ‚si' vernacula ‚wenn nur' vertendum esse docet. Immo cum Rothheimero l. c. p. 6 si = etiamsi intellegendum esse puto.

Affirmativam formam praebet enuntiatio primaria:

Cist. I 3, 4. Quod si tacuisset, tamen Ego eram dicturus deus. — Mil. 189. —

Inverso ordine, sententia primaria negativum sensum habet: Stich. 27:

Tamen si faciat, minime irasci | Decet..

‚Tamen si', quod libri exhibent BCDFZ retinui cum Goetzio nec cum Braunio l. c. p. 44 adn. scribendum censeo ‚tametsi', quod in A exstat. Etenim tam saepe sententia concessiva, ubi enuntiatum primarium negativum sensum habet, per ‚si'

elata invenitur apud Plautum, ut hoc loco contra cod. A auctoritatem reliquos libros sequi non dubitem.

,Tam si', quod dubitanter in adnotatione Ritschelius proposuerat, Fleckeisenus in textum recepit.

cf. Trucul. 564. Nísi derivetúr, tamen omnis aéque aqua abeat ín mare. (Schoell.)

Apud *Terentium*[1]) particula ,si' concessive usurpatur locis *undecim* et ita quidem, ut indicativus sequatur *ter,* coniunctivus *octies.*

Duobus locis, ubi indicativus sequitur, particulae ,si' ad vim augendam adverbium ,maxume' additum est (Curc. 865. Phorm. 295). —

A. Indicativi exempla sunt haec:

1. Praemittitur enuntiatio concessiva: enuntiatio principalis negativa est.

Phorm. 295. verum si cognatast maxume, Non fuit necesse habere ..

2. Opponuntur in enuntiato principali:

a) *tamen;* enuntiatum principale affirmativam formam habet.

Ad. 950. — Si multumst, tamen Faciundumst. Sic scripsi cum Fleckeiseno, Umpfenbachio, Dziatzkone. Codd. praebent: ,etsi' DG ,multum sit' BCEFP; ,tamen' omiserunt BCFP.

Praemissa particula tamen. Eun. 889. ,Tamen si pater ..', ubi ,noluerit' supplendum esse apparet ex sequentibus ,ah volet certo scio'.

b) *at tamen.* Enuntiationis primariae sensus negativus est. Eun. 865. nam si ego digna hac contumelia Sum maxume, at tu indignus qui faceres tamen.

B. Coniunctivus exstat in his exemplis.

1. Praemittitur enuntiatum concessivum. Enuntiatio principalis negative formatur.

Heaut. 452. satrapes si siet Amator, numquam sufferre eius sumptus queat. — Ad. 761.

2. Media interponitur. Enuntiatum principale est negativum. Heaut. 1035 sqq. Non si ex capite sis meo Natus,

---

[1]) cf. A. Liebig, die hypothetischen Sätze bei Ter. Görlitz 1863.

... ea causa magis Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

Sensus enuntiati concessivi negativus est. Heaut. 632. Id equidem ego, si tu neges, certo scio, Te inscientem atque inprudentem dicere ac facere omnia. — ,Si' scripsi in v. 632 cum Fleckeiseno, Umpfenbachio, Wagnero; quod etiam in codice Bembino legisse videtur Umpfenbachius. In ceteris libris (BCDEFGP) legitur ,etsi'.

3. Adiungitur. Sententia primaria negativa est. Andr. 694—95. Per omnis tibi adiuro deos, numquam eam me deserturum, Non si capiundos mihi sciam inimicos omnis homines. Eun. 49. redeam? non, si me obsecret. — NONNISI exhibet A literis ,ni' inductis a corr. rec. — Phorm. 974—5. —

Iam quid de modis et temporibus in utraque parte notandum sit, breviter exponam.

Atque modi ita inter se respondent apud Plautum et Terentium, ut indicativum enuntiationis concessivae semper in primaria sententia sequatur indicativus, coniunctivum aut coniunctivus aut indicativus.[1]) Indicativus in enuntiatione principali respondet conjunctivo enuntiati concessivi septies vicies, coniunctivus undecies apud Plautum, indicativus bis, coniunctivus quater apud Terentium.

Temporum ratio non alia est atque in universo genere enuntiationum condicionalium, de qua vide Rothheimerum, de en. cond. p. 21 sqq. 29 sqq., Langenum ,Beiträge' p. 54.

I. *Indicativus* legitur in utraque parte.
In enuntiato concessivo exstat tempus:

1. *praes.:* in enuntiato principali

a) *praes.:* Capt. 223; 529. Cist. I 1,69. Cas. IV 2,16. Curc. 3 sqq. Men. 746. Mil. 631; 747. Stich. 695.
Adelph. 950.

b) *perf.:* Mil. 306.
Phorm. 295.

[1]) Hand, Tursell. II p. 592—93. — Rothheimer l. c. Langen, ,Beiträge' p. 45 sq.

c) *fut. I:* Asin. 405—6. Men. 1060. Most. 229. Pseud. 628.[1]) cf. Poen. 51.

2. *perf.:*

a) *praes.:* Amph. 908. Rud. 1361. Trin. 507.

b) *fut. I:* Poen. 374.

3. *fut. I:*

fut. I: Amph. 1051.

4. *fut. II:*

praes.: Rud. 1353.

II. *Coniunctivus* in utroque membro legitur.

Sententia concessiva praebet tempus:

1. *praes.:* sequente in altera parte

a) *praes.:* Aul. 555. Curc. 211. Bacch. 178. Most. 912; 914. Trin. 962. Truc. 315. Truc. 527—28. cf. Truc. 564.

Heaut. 452. Ad. 851 (Eun. 49, ubi ex antecedentibus ,redeam' supplendum est.)

b) *perf.:* Bacch. 697 (,ausim').

2. *perf.:*

praes.: Pers. 283. Mil. 188.

Heaut. 1035.

3. *plusquamperf.:*

plusquamperf.: Most. 343.

III. *Coniunctivus* in sententia concessiva exstat sequente *indicativo.*[2])

Tempora sunt haec: In enuntiato concessivo

1. *praes.:* in primario:

a) *praes.:* Aul. 254. Asin. 164; 318; 933. Cas. II 5, 6. Cist. I 1, 29. Bacch. 128; 1045. Most. 351. Pseud. 291. Trin. 1186. Stich. 27; 43. Truc. 877.

Heaut. 632. Ad. 761.

b) *perf.:* Pseud. 433. Merc. 841. Rud. 159.

c) *fut. I:* Amph. 450. Aul. 311. Asin. 414. Epid. 610.

---

[1]) cf. Langen l. c. p. 54.

[2]) cf. Langen l. c. p. 45—46.

d) *praes.:* coniugationis periphrasticae:
(laturus sum) Bacch. 1004.
e) *imperativi* locum obtinet:
coni. prohibitivus: Aul. 100.
2. *imperf.:*
perf.: Curc. 446. Mil. 803. Pseud. 702.
His tribus locis perfectum legitur verbi ,posse'.
3. *plusquamperf.:*
a) *perf.:* Merc. 694.
b) *imperf.* coniug. periphr.:
,eram dicturus' Cist. I 3, 4.

Minus ad tempora modosque explanandos apti sunt Andr. 694—695 Casin. II 5, 15—16. Phorm. 974—975, hic locus Phormionis Terentianae, quod pendet ex ,ut ne', illi propter constructionem accusativi cum infinitivo.

Etiam si.[1])

His particulis enuntiatio concessiva elata est apud Plautum semel ita, ut sequatur indicativus.

Locus Plautinus est: Epid. 518 sqq.

Eamne ego sinam impune? immo etiam si alterum
Tantum perdundumst, perdam potius quam sinam
Me impune irrisum esse habitum depeculatum ..

Qui tamen locus cum multis de causis tum propterea suspectus est, quod ab Ambrosiano absunt hi versus 518—520. Quare recte videtur cum Gepperto Goetzius hos versus legitimo metro carentes a Plauto abiudicare.

Simul ,etiam si' non esse Plautinum statuendum est, nisi recte Geppertus in textu posuit ,etiam si' Casin. IV 3, 8.

Quíd, etiam si occéntem hymenaeum sitque pulcra hymnódia? — Codd. enim praebent teste Gepperto: ,si etiam si' (A. Pal. 3; Parisinus) ,si etiam' (ceteri) offendam (codd. cum A omnes) hymenaeum SITQ.................ODIA (A, quae ceteri omiserunt).

Atque ,offendam', quod sensu prorsus caret, iam Pylades in ,occentem' mutavit. E reliquiis codicis A Geppertus eruit, quae supra scripsi, ,sitque pulcra hymnodia'.

---

[1]) cf. Hand, Tursell. II p. 588—596.

Aliter res se habet in Casin. I 5: Quin edepol etiam, si in crucem vis pergere Sequi decretumst. Ubi concessivam notionem ,etiam si' non habent, sed secernenda sunt interpungendo recteque secernuntur a Gepperto.

In Mil. versu 1014, ubi in codicibus exstat ,etiam sed non celas' non commode emendasse Camerarium ,ita etiamsi' neque Gruterum, quocum facit Handius (Tursell. II p. 592), ,etiam si', consentiunt viri docti Bothiumque secuti scribunt:

Immo etiam sic non celas.

Apud Terentium ,etiam si' duobus locis inveni sequente indicativo semel, semel sequente coniunctivo.

Sequitur indicativus; sententia primaria negativam formam habet: Hec. 648. Etiam si dudum fuerat ambiguom hoc mihi, Nunc non est.

Sequitur coniunctivus; enuntiatio secundaria negativum sensum praebet. Ad. 851. atque equidem filium Tum etiam si nolit cogam ut cum illa una cubet.

Temporum et modorum ratio haec est:

I. In utraque parte *indicativus* legitur:

a) *praesentis* in enuntiato secundario, sequente in primario:
fut I.: Epid. 518 sqq.

b) *plusquamperfecti:*
praes.: Hec. 648.

II. In utroque membro exstat *coniunctivus praesentis*: Ad. 851.

Eodem sensu ,etiam' apud Plautum coniungitur cum particula ,quom' quattuor locis, de quibus vide infra. Apud Terentium ,etiam quom' concessive usurpata non inveni.

A sermone Plautino et Terentiano absunt ,etiam ubi', etiam' coniunctum cum pronomine relativo, quae verba eodem modo coniungi cum particula ,etiam' Handius, Turs. II p. 569 auctor est, et de quorum usu apud L. Annaeum Senecam philosophum egit Naeglerus, de part. conc. et interrogat. p. 10 sqq.

De ,etiam etsi' vide infra.

Omissa coniunctione ,si' cum verbo [1]) adicitur adverbio

---

[1]) cf. Hand, Turs. II p. 570.

particula ‚etiam'[1]) Mil. 1014 ‚Immo etiam sic non celas', de quo loco vide p. 19 — cum adiectivo coniungitur apud Terentium Adelph. 279. ‚etiam maneo otiosus hic'.[2])

Etsi.

Huius particulae apud Plautum exstant viginti sex exempla; indicativum praebent unum et viginti, coniunctivum quinque.

A. Sequitur indicativus in his exemplis.

1. Praemittitur enuntiatio concessiva: Bacch. 1160. Sed quid istuc est? etsi ego iam ipsus quid sit prope scire puto me: Verum audire etiam ex te studeo. — Sic scripsi cum Ritschelio, cod. B exhibet: ‚etsi iam ego ipse .. quid sit'. — Most. 666. Calidum hoc est: etsi procul abest, urit male. — Qui tamen versus suspectus videtur esse Ritschelio et Lorenzio. — Mil. 532. — Pseud. 1113. — Rud. 1044. —

Ex his quinque exemplis quattuor affirmativam habent enuntiationem principalem, negativam unum (Mil. 532.)

2. Media interponitur; affirmativa est sententia primaria: Bacch. 1201. Age iam, utut est, etsist dedecori patiar. — Vocem ‚id', quam post ‚iam' praebent codices BD, Ritschelius delevit probante Muellero pros. p. 308. Idem ‚etsi est dedecorum' librorum in ‚etsist dedecori' mutavit. — Trin. 383. —

3. Adicitur. Utraque enuntiatio affirmativa est his locis: Capt. 543. Equidem tam sum servos quam tu, etsi ego domi liber fui. — Pers. 272. — Trin. 600. —

Falso in libris traditum est ‚etsi' Trin. 1184. ‚Ego ducam pater Etiam etsi quam aliam iubebis'. — Quam lectionem Kuehnerus[3]) affert, qua ‚etiam etsi' confirmetur. — Sed recte emendavit hunc locum Bothius: ‚Et eam et si quam', quem secuti sunt Ritschelius, Fleckeisenus, Brixius.

Negativam formam habet enuntiatio primaria: Mil. 407. — Non vidi eam, etsi vidi. —

---

[1]) Similiter concessiva sententia exprimitur particula ‚vel' coniuncta cum adverbio Most. 179: ‚vel falso tamen'.

[2]) cf. Dziatzko, Adelphoe (1881) p. 101 (Anhang).

[3]) Ausf. Gram. d. lat. Spr. II p. 959. — cf. Hand, Turs. II p. 602 sq.

,Vidi eam' recte iam Camerarius enucleavit e scriptura codicum BCDZ ,videam'.

Secundaria enuntiatio negativa est: Capt. 842. Gaudeo, etsi nil scio quod gaudeam[1]. — Most. 855. Tranio age canem istam a foribus aliquis abducat face, Etsi non metuendast. — ,aliquis', quod deest in libris, Ritschelium secutus scripsi.

Sententia concessiva per ,etsi' elata si adicitur ita enuntiato principali, priorem sententiam coërcere et infringere videtur: unde fit, ut hac relativa forma exprimatur idem fere, quod demonstrativa significat ,tamen'[2]. Iam ,etsi' idem valet quod Graecum *καίτοι*, nostrum gleichwohl, freilich apud Plautum quattuor locis; sequitur indicativus.

,Etsi' format dictionem semet ipsum corrigentis: Capt. 744. Vale atque salve, etsi aliter ut dicam meres. — Merc. 1 sqq. Duas rés simul nunc ágere decretúmst mihi:

Et árgumentum et meós amores éloquar;
Etsi hóc parum hercle móre maiorum ínstiti
Pro meá persona ut sim ád vos index ílico.

De collocatione versuum 3—4 vide Goetzii adnot. in Merc. edit. altera. — ,Etsi' Bothius restituit in v. 3, codd. praebent ,Fit' B ,Et' *rell.*; ,hercle' debetur Ritschelio, codd. ,eẽ' BCD, ,esse' FZ exhibent[3]. — Pers. 601. — Trin. 591 sqq. di vostram fidem

Edepol re gesta pessume gestam probe,
Si quidem ager nobis salvos est: etsi admodum
In ambiguo etiam nunc est, quid ea re fuat.

In v. 594 ,ambiguo etiam nunc est' scripsi cum Rit-

---

[1]) Inde, quod in hoc v. 842 se excipiant ,gaude' ,gaudeo' ,gaudeam' in v. 839 ,gaude' ,gaudeam' ,gaude', apparere mihi videtur, quae verba in fine versus 840 perierint. Periisse puto, collatis trin. 582 sqq., ,gaude modo'. Iam hic versus efficitur: ,Pól maerores mi ántevortunt gaúdiis. Er: Gaudé modo'. Quae verba, quam facile post ,gaudiis' huius versus et post ,gaude modo' versus antecedentis excidere potuerint, in promptu est.

[2]) cf. Hand II p. 605.

[3]) Ceterum in scribendis vv. 3—4, de quibus multi multa protulerunt, Ritschelium secutus sum.

schelio (libri: amb. est e. n.), quocum etiam Scioppium (susp. lect. II 13) secutus ,quid ea' posui pro librorum scriptura B: ,quid dea', *reliquorum:* ,quid de hac'.

4. Opponuntur in enuntiato primario:

a) particula *tam:* sequente sententia concessiva. Rud. 1350. Tam fiet, etsi tu fidem servaveris. — ,Tam' Bothium secutus scripsit Fleckeisenus probante Braunio l. c. p. 46.

b) *at:* sententia primaria est negativa. Trin. 527. etsi scelestus est, At mi infidelis non est. —

B. Coniunctivi exempla sunt haec:

1. Praemittitur sententia secundaria. Aul. 421. Pol etsi taceas, palam id quidemst.

2. Media interponitur. Trin. 474. At pol ego, etsi votet, Edim atque ambabus malis expletis vorem. — In v. 474 ,etsi' veram esse lectionem, codicis A auctoritate docemur; in rell. legitur ,etiam si'. — Truc. 815. Idem istuc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta intellego. — Codd. habent ,De istoc', Geppertus scribi voluit ,Ne istuc'. Ego Schoellium secutus ,Idem istuc' recepi, quod proposuit Kiesslingius ann. phil. a. 1868 p. 639, probavit Muellerus l. c. p. 672. adn. 2.

3. Adicitur. Capt. 856. Quin ita faciam ut tute cupias facere sumptum, etsi ego votem. — In his exemplis omnibus sententia primaria affirmativa est, negativa est Pseud. 87. Vix hercle opino, etsi me opponam pignori. — Codd. exhibent ,opinor ē si', Pylades ut iustum versum efficeret, correxit: ,opinor si'. Et commode ille ,si' posuit pro ,etsi'; saepenumero enim apud Plautum hanc particulam concessive usurpatam esse, praesertim cum enuntiatum principale negativam formam praeberet, exemplis p. 5; p. 9; p. 13 allatis satis cernitur.

Malo tamen cum Ritschelio scribere ,opino etsi', quod propius accedit ad librorum scripturam. Nam formam ,opino', quamquam nullo loco Plautino tradita est, exstitisse in Bacch versu (24 R.) et apud Ennium, Pacuvium, Caecilium testatur Nonius p. 474.[1])

---

[1]) cf. Langen, Beiträge p. 61. Brix, adn. ad trin. (1879³) v. 422; Jahrb. phil. 123 (1881) p. 53.

Apud Terentium viginti duo exempla particulae etsi inveniuntur, quae omnia indicativum praebent. Significationem vere concessivam habet locis duodecim, decem locis idem valet quod Graecum *καίτοι*.

A. Concessivam format sententiam his locis:

1. Praemissa sententia secundaria. Ad. 944. Etsi hoc mihi pravom ineptum absurdum atque alienum a vita mea Videtur: ... fiat.

2. Interposita. Heaut. 624. Vin me istuc tibi, etsi incredibilest, credere? — ‚Etsi', quod reliquis praeter A codicibus traditum est, Fleckeiseneum et Umpfenbachium secutus scripsi, quod etiam codicis A lectione ET^{SI}INCREDIBILEST (‚si' add. corr. rec.) commendari videtur. — Argutius Wagnerus profectus a vocula ET, quae est in Bembino, videtur emendasse: ‚at incredibilest'.

3. Adiuncta. Andr. 374. Ibo, etsi hercle saepe iam me spes haec frustratast. — Hec. 258. At ita me di ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es. — Ib. 404. — Ib. 577 sq. — Ib. 788. —

4. Sequentibus particulis: a) *tamen*. Heaut. 225. Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agitat, tamen Habet bene et pudice eductam, ignaram artis meretriciae. — ‚Sat agitat, tamen' Bentleium secutus scripsi cum Umpfenbachio et quod apud Charisium p. 218 legitur (quod est etiam in codice F): ‚sat agitat tamen | habet', et quod similis locus exstat apud Plautum Bacch. v. 636: ‚Sat agitas tu tuarum rerum'.

Quod Bentleius, ut refutet lectionem ‚agit at tamen' ad h. l. (II 1, 14) profert, post ‚etsi' non inferri ‚at tamen', si Plauti (Rud. 1350 ‚tam' Trin. 527 ‚at') et Terenti (Hec. 243 ‚tamen' Phorm. 407 ‚verum tamen') exempla respexeris, verum esse dices, apud alios scriptores ‚at tamen' post ‚etsi' positum esse, Handius in Turs. II p. 601 auctor est.

Minus mihi probatur coniectura Fleckeiseni, qui consentiente Wagnero (Haut. p. 80, Anhang), longius recedens a codicibus, exhibet: sat agit, támen habet
Bene ét pudice edúctam et artis ígnaram meretriciae.

b) *verum tamen.* Phorm. 407 sqq. Etsi mihi facta injuriast, verum tamen ... (410) abduc hánc, minas quinque accipe. — ,abduc' in v. 410 scripsi cum Umpfenbachio codicem A secutus. Vide de hac re, quod Dziatzko protulit in „Ien. Lit. zt." a. 1878 p. 309 et Adelph. (1881) p. 104, ,Anhang' ad v. 482, qui tamen in editione Phormionis (1874) codices praeter A secutus cum Fleckeiseno in textu posuit ,abduce'.

Duobus locis enuntiatum primarium supplendum est e sententiarum conexu: Andr. 348. Pa: Nuptiae mihi — Da: Etsi scio? — Ubi tamen ,et id scio' Donatus, ,et' ex ,etsi' corr. rec. D, ,et istuc scio' Eugraphius exhibent. — Hec. 347 sq.[1]) Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse adprime obsequentem, Sed non adeo ut facilitas mea corrumpat illorum animos: —

Ex his exemplis tria principalem enuntiationem praebent negativam (Hec. 258; 404; 577).

B. ,Etsi' idem valet ac *καίτοι* his locis:

Eun. 968 Dicam huic an non dicam? dicam hercle: etsi mihi magnum malum Scio paratum. — Heaut. 326 sq. Harum duarum condicionum nunc utram malis vide, Etsi consilium quod cepi rectum esse et tutum scio. — Post ,Etsi' in v. 327 codd. BCDFGP habent ,hoc'; Eugraphius in lemm. exhibet: ,Scio hoc consilium'. — Ib. 410 sqq. — Ib. 470 sqq. — Ib. 749 sqq. — Hec. 624 sq. nam hercle factumst abs te turpiter: Etsi tibi causa est de hac re: mater te impulit. — Ib. 505. — Ib. 833 sq. — Ad. 145 sqq. —

,Tamen' adicitur particulae ,etsi' notione ,gleichwohl, freilich': Heaut. 119 sq. Ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen Animi est pudentis signum et non instrenui. — ,Etsi' in v. 119 praebent codd. (B) CDEFP, cod. A habet ,sed illud'.

Iam de modorum et temporum ratione in enuntiatis per ,etsi' elatis disseram.

Atque ,etsi', quod imprimis de re facta aut facienda usurpatur, in certo, quod ponitur, iudicio indicativum habet. Nihil tamen impedit, quominus id, quod tantum fieri posse

[1]) cf. ad h. l. Charis. p. 229.

[2]) cf. Kühner, Ausf. Gram. d. lat. Spr. II p. 960.

cogitetur, etiam per vocem etsi opponatur.[1]) Usurpatur de re cogitata sequente coniunctivo quater apud Plautum et ita quidem, ut *coniunctivus* legatur in utraque parte:

praesentis: Trin. 474; — coniunctivum in enuntiato concessivo sequatur in primario *indicativus*:

Tempus in his exemplis exstat *praesens*:

Aul. 421. Truc. 815. Pseud. 87.

Cetera apud Plautum, omnia Terentiana exempla *indicativum* praebent in utroque membro.

Tempora autem sunt haec:

a) *praes.:* in en. secundario; in primario legitur

1. *praes.:* Bacch. 1160. Most. 666. Mil. 532. Pseud. 1113. Rud. 1044. Capt. 742; 842. Trin. 827.
   Heaut. 225; 624. Hec. 258; 577; 788.

2. *fut. I.:* Bacch. 1201.
   Hec. 243; 404.

2. *imperat.:* Most. 855. Pers. 272.

b) *perf.:*

1. *praes.:* Trin. 383. Capt. 543. Pers. 655.
2. *perf.:* Mil. 407.
3. *fut. I:* Trin. 600.
   Andr. 374.
4. *imperat.:* Phorm. 407.

c) *fut. II:*

fut. I: Rud. 1350.

Ex alia ratione pendet coniunctivus in utraque parte: Capt. 856; tempus est praesens.

In enuntiato primario coniunctivus praesentis (imperativus) sequitur indicativum praesentis in enuntiato concessivo: Adelph. 944.

Tamen etsi.[2])

Hae particulae apud Plautum quater, semel apud Terentium in concessiva sententia inveniuntur, his legibus[3]):

---

[1]) cf. Hand, Turs. II 607.
[2]) cf. Hand l. c. II 606. — Holtze, synt. p. 350. — Kühner l. c
[3]) cf. Braune l. c. p. 44.

‚Tamen etsi' tum scriptum invenitur,

a) si duae particulae versu dirimuntur:

Casin. V 3, 15. vapulo hercle ego invitus tamen
Etsi malum merui. — Ubi falso Geppertus mutato verborum ordine ‚tamen' in proximum versum traiecit, et ut ‚tamenetsi' in unum vocabulum contraheret, hos effecit versus:

Nugas ístic dicere líceat: ego hercle invítus vapuló
Tamenetsí merui malúm.

Mil. 1209 sq. postremó tamen
Étsi istuc mihi acérbumst, quia ero té carendumst óptumo,
Sáltem id volup est . . .

‚tamen Etsi' praebet B, tamen etsi CD, tametsi FZ.

b) si ‚tamen' sententiae concessivae postpositum ad extremum versus locum reicitur:

Poen. 1084. Tacito sis reddas, etsi hic habitabit, tamen. — ‚habitabit' Pyladi debetur, codd. habent: ‚habit' BC(D) ‚habet' FZ. Bothius scribi voluit ‚hic habitat'.

c) si sententia non plena est:

Most. 1167. Verberibus, lutum caedere pendens. Tr. Tamen etsi pudet? —

Ter.: Andr. 864. Ego iam te commotum reddam.
Da.: Tamen etsi hoc verumst? Si: Tamen. —

Cum his tamen locis, qui sententiam praebent non plenam (Most. 1167; Andr. 864) comparari posse Curc. 504, id quod fecit Braunius l. c. p. 47, ego quidem prorsus nego.

Atque Curc. vv. 503/4 sic leguntur in libris: Qui constitit, culpánt eum, conspúitur, vituperátur: Eum rém fidemque pérdere, tam etsí nil fecit, áiunt. Offenditur in v. 504 vir doctus eo, quod si codicum scriptura vera esset, ultima vocis ‚perdere' vel ‚tam' produceretur necesse esset. Iam cum Bothius in uno codice legi testetur ‚tamen', hoc loco ‚tamen etsi' scribendum esse Braunius existimat. ‚Aiunt' enim, inquit, ‚verbo addito significatur, verba ‚tamen etsi nil fecit' proverbii loco dici. Habemus igitur enuntiationem aliquam non plenam' sqq.

At de proverbio hoc loco cogitari nullo modo potest. Nihil dicit Curculio nisi hoc: si quis cum lenonibus in foro constitit, eum dicunt rem fidemque perdere, etsi innocens est.

Nec versus offensionem habet. Neque enim ,tam' in tam etsi producitur sed vocis ,perdere' ultima, ut sonet ,pérderé', Nam in caesura iambici septenarii poëtas comicos latinos et syllabae ancipiti et hiatui locum dedisse, notum est.

Quare, cur optimorum codicum (BEJ) scripturam postponamus lectioni codicis cuiusdam Bothiani, causam non video; scribendum est cum Goetzio:

Eum rém fidemque pérdere, tam etsí nil fecit, áiunt.

Falso codicibus traditum est ,tamen etsi': Trin. 679. — BCDE exhibent: Facile inventust (,facilist inventu' Lambinus) datur ignis, tamen etsi ab inimico petas.

Atque in priore editione (1848) ,tamen etsi' recepit Ritschelius. Scribendum autem est, quod est in libris FZ, ,tam etsi' cum Brixio, quem secuti sunt Fleckeisenus et in editione altera (1871) Ritschelius, probante Braunio l. c. p. 44 adn.

Persa 361 sqq. — codd. praebent:

Erus si minatus est malum servo suo Tamen etsi id futurum non (,Tam' DFZ, ,id' sup. scr. D) est, ubi captumst flagrum, Dum tunicam is ponit, quanta afficitur miseria. — Iam Ritschelius ex cod. A, in quo exstat: TAMEN ESIAU:· USNON, eruit ,Tamen si daturus non'. Malo tamen cum Braunio l. c. scribere

,Tam etsi daturus non est'

praesertim cum libri DFZ ,tam etsi' exhibeant et ex codice Ambrosiano ut ,tamen si' ita etiam ,tam etsi' elici possit.

Modus est in enuntiatis per ,tamen etsi' elatis *indicativus* Tempora sunt haec:

a) *praesens* in sententia concessiva, in primaria
praes.: Mil. 1209 sq.

b) *perf.:*
praes.: Casin. V 3,15.

c) *fut. 1:*
imperat.: Poen. 1084.

Tam etsi.[1])

Huius particulae apud Plautum inveni exempla septendecim; indicativum exhibent quindecim, coniunctivum duo.

---

[1]) In scribenda hac particula Fleckeisenum sequor, quem vide in ep. crit. ad Ritsch. p. XV.

A. Sequitur indicativus:

1. Praemissa enuntiatione concessiva. Enuntiatum principale negativam formam habet: Aul. 768. — Libri praebent: Tametsi (Tam et si BE) fur mihi es, molestus non ero. I vero refer *ex* ‚fuero refer' B² fuero refer D furore fer E furi refer JFZ.

Atque libros JFZ secutus Wagnerus (Aul. 1866) scripsit: Tamétsi fur mihi és molestus nón ero furí: refer. — Cui tamen astipulari non possum. Nec magis mihi probantur Ussingii (‚molestus non fuero: refer modo'), Gertzii (‚molestus non ego fuero: refer') coniecturae, quae longius recedunt a libris.

Tenenda autem codicis B² lectio et cum Goetzio est scribendum:

Tamétsi fur mihis molestus nón ero. I veró refer. Curc. 259. Tam etsi non novi, dabo. — ‚Tam etsi' scripsi cum Fleckeiseno, Goetzio codicem B secutus. In JF legitur ‚et si'. — Mil. 744. —

Pseud. 244. tam etsí's occupátus,
Morámur.

codd. praebent: ‚tam et sio cupatus' B. ‚ocupatus' D. ‚Tam etsis occupatus' emendavit Fleckeisenus consentientibus Muellero pros. p. 762, Braunio l. c. p. 47, quem secutus sum. ‚Tamétsi occupatu's' proposuit Ritschelius, ‚te tamétsi occupatu's Morámur' Lorenzius in philol. 35 p. 165, quem recte videtur refutasse Langenus ‚Beitr. p. 175.

In his tribus exemplis affirmativa exstat enuntiatio principalis, e quibus duo in secundaria praebent negativam sententiam (Curc. 259. Mil. 744).

2. Interposita. Negativam formam habet enuntiatum principale. Capt. 321. Né patri tam etsi únicus sum, esse é re videatúr magis. — Codd. habent: decere videatur m. BJ. Sed ‚decere' in versum non quadrat, nisi aut cum Brixio (Capt. 1876³ p. 92, krit. Anh. zu v. 318) ‚etsi sum unicus' aut cum Fleckeiseno ‚Né, tametsi unicús sum, magis decére videatúr patri' mutaveris.

Quare cum Muellero p. 268 scribo, quod in textum recepit etiam Brixius, ‚esse é re videatur m.'; quod ante eum legi

voluisse iam Bentleium, Sonnenscheinius in editione h. f. (Lips. 1880) auctor est. — Poen. 1201. —

Stich. 205. Eos omnis tam etsi hercle haud indignos iudico, Qui multum miseri sint, laborent, nil moror. —

In versu 206 cum Goetzio (Stich.[2]) codicum praeter A (qui ‚sunt' praebet) scripturam ‚sint' restitui, quam defendit Buggius in philol. 31 (a. 1872) p. 247.

Ritschelius, quem offenderat coniunctivorum ‚sint laborent' cumulatio, coniecerat ‚sat laborent', quocum fecit Fleckeisenus.

Enuntiatio secundaria negativam formam habet:

Pers. 361 sqq Erus sí minatus ést malum servó suo
Tam etsí daturus nón est, ubi captúmst flagrum,
Dum túnicam is ponit, quánta afficitur míseria.

De hoc loco cf. p. 27. — Curc. 504. — cf. l. c.

Utraque pars affirmativa est:

Stich. 41. Quamobrem égo te hoc, soror, tam etsi és maior
Moneo út tuom memineris ófficium.

3. Adiecta. Utriusque enuntiati sensus est affirmativus. Amph. 20 sqq. Pater huc me misit ad vos oratum meus, Tam etsi pro inperio vobis quod dictum foret, Scibat facturos. — Pseud. 471. — Poen. 342. Proba mers facile emptorem reperit, tam etsi in abstruso sitast. — ‚mers' scriptum est in ABCD, ‚tam etsi' praebent: FZ cum A, reliqui libri: tarem ē et si' B. ‚tarem est et si' CD.

Sententia primaria negativa est:

Men. 92. — Codd. praebent: Numquam edepol te fugiet tiam etsi Ba fugiet etiam etsi Bb fugiet iam etsi CDZ confugiet iam etsi F capital fecerit.

Iam Nonius p. 38 exhibet ‚hercle effugiet tametsi', quem veram huius loci lectionem servasse arbitratur Ritschelius consentiente Wagnero. Itaque scribunt: Numquam hercle effugiet sqq.

Quos recte videtur refutasse Brixius (Men. 1880[3] p. 94, Anhang), cum moneret, ‚effugiet' pro ‚fugiet' hoc loco dici non posse.

Praestare puto, quod ipse Brixius scribendum censet cum Pylade, ‚edepol fugiet tametsi', ‚te' librarii interpretamentum esse ratus. Quare scribo:

Numquam édepol fugiet, tám etsi capital fécerit.

Enuntiatum secundarium negativum est: Amph. 977. Audis quae dico, tam etsi praesens non ades. —

B. Coniunctivi exempla sunt haec:

a) Interponitur enuntiatum concessivum. Merc. 595. Sed tandem, tam etsi podagrosis pedibus esset Eutychus, Iam a portu redisse potuit. — Libri habent in v. 595: tamen demsi podagrosis BCD (nisi quod ‚podragosis' B, tam̃ pro *tamen* D) tandem si podagrosis FZ (nisi quod ‚pedagrosis' F).

Ego Ritschelium secutus sum, qui eruit e codicum scriptura ‚Sed tandem tametsi podagrosis'.

Minus mihi probantur coniecturae Acidalii, qui deleto ‚iam' proximi versus proposuit ‚tandem iam si pod.', Guyeti, qui ‚tandem etiam si p.', Bothii, qui cum antea ‚iamdudum, si pod.' scripsisset, legi voluit ‚tamen idem si podagr'. —

b) Adicitur. Trin. 679. Facile inventust: datur ignis tam etsi ab inimico petas. — De quo versu vide supra p. 27. In his duobus exemplis utraque sententia affirmativa est.

De Stich. v. 27, ubi in codice A ‚tam etsi' legitur sequente coniunctivo vide supra p. 14.

Terentius hanc usurpat particulam quater, ita, ut indicativus sequatur ter coniunctivus semel.

A. Indicativi exempla haec sunt:

1. Praemittitur enuntiatio concessiva: In utraque parte sententia est affirmativa.

Eun. 316. Tam etsi bonast natura, reddunt curatura iunceam. — Omnes libri ‚tam etsi' habent praeter E, ubi exstat ‚tamen etsi'. — In fine versus omnes exhibent libri manu scripti ‚iunceas', quod legisse se testantur etiam Donatus, Eugraphius, Nonius (p. 493).

Ego Umpfenbachium sequor, qui Bembini, ut videtur, auctoritate nixus scripsit cum Fleckeiseno ‚iunceam'.

b) Adicitur. Utraque sententia est affirmativa. Andr. 348. Obtundis, tam etsi intellego? Phorm. 428. —

B. Coniunctivi exemplum legitur:

Eun. 216. Memini, tametsi nullus moneas. — In hoc exemplo enuntiatio secundaria negativa est et adicitur primariae.

In enuntiatione primaria particulis ,tam etsi, tamen etsi' neque apud Plautum neque apud Terentium opponitur ,tamen' aut alia eius modi particula adversativa.

Qua de causa refellenda est Muelleri ad Stich 695 coniectura (l. c. p. 474): . . . Samiolo poterio Tam etsi[1]) bibimus, tamen efficimus pro opibus nostra moenia. — De quo loco cf. p. 8.

Tempora et modi se excipiunt in utroque membro hunc in modum:

I. In utraque sententia legitur *indicativus:*

a) *praes.:* est in principali, sequitur in secundaria

1. *praes.:* Amph. 977. Mil. 744. Stich. 41; 205.
   praes.: Poen. 342.
   Andr. 348. Eun. 316. Phorm. 428.
2. *perf.:* Poen. 1201.
3. *fut. I:* Aul. 768.
4. *imperat.:* Pseud. 471.

b) *imperf.:*
   perf.: Amph. 20 sqq.

c) *perf.:*
1. *praes.:* Pseud. 244. Curc. 504.
2. *fut. I:* Curc. 259.

d) *fut. II:*
   fut. I: Men. 92.

e) *praes.:* coniugationis periphrasticae:
   praes.: Pers. 361.

II. *Indicativum* praesentis in enuntiato secundario sequitur in principali *coniunctivus,* qui pendet ex particula ,ne'. Capt. 321.

III. *Coniunctivus* exstat in sententia concessiva, in principali *indicativus.*

---

[1]) ,Tametsi' l. c. proposuit Muellerus non, quod eum coniecisse in adnot. ad h. l. enarrat Goetzius ,Tamenetsi bibimus' sq.

a) *praesens* est in secundario enuntiato, in primario
1. *praes.:* Trin. 679.
2. *perf.:* (praesentis loco): Eun. 216.
b) *imperf.:*
perf.: (‚potuit'): Merc. 595.

Pars II.

De eis enuntiatis concessivis, quae relative formantur.

Enuntiatis concessivis, quae relative formantur, id, quod in causa repugnare dicitur, re vera esse conceditur.[1])

Atque cum non desint loci, ubi enuntiatio, elata per pronomen relativum[2]), sit pro concessiva, tum imprimis ea relativa formant sententiam concessivam, quorum generalis et collectiva est significatio.[3])

Unde hae natae sunt particulae concessivae:

utut	quae apud Plautum exstat		*octies,*
	apud Terentium		*ter*
quamquam,	apud Plautum		*ter et quinquagies*
	apud Terentium		*quater*
quamvis[4]),	quae apud Plautum locis		*tredecim*

invenitur, duobus tantum locis notionem habet concessivam — apud Terentium, ut videtur, deest.

Opponuntur in enuntiato principali: ‚tamen', ‚verum tamen' apud Plautum et Terentium, ‚certe' (semel) apud Terentium.

---

[1]) cf. Hand l. c. p. 588.

[2]) cf. Bacch. 332. Epid. 329. Men. 620; sequente tamen: Pseud. 402; 405. Stich. 730. Trin. 209. Pers. 364. Mil. 748. Ter. Andr. 272 sq. — Holtze p. 190.

[3]) cf. quanta quanta Phorm. 904. — quidquid Rud. 1136 (codd.: Vos tamen istaec, quidquid isti inerit vobis habebitis, cf. Mueller. pros. p. 227) — ubi ubi Epid. 493. Rud. 1210 (codd.: ubi ubi erit, tamen iam investigabo et mecum ad te adducam simul Plesidippum. Mueller. pros. p. 107) And. 684. — quantumvis Truc. 571. — quidvis Heaut. 858.

[4]) Desunt: Quamlibet, Quantumvis.

Utut.

Huius particulae octo praebet Plautus exempla. Modus sequitur indicativus.

a) Praemittitur sententia concessiva.

Most. 545. — codd. habent: Sicut mi habet verum utut res esse BaCDa .sse *pro* esse BC. utut res esse DC (quod Camerarius recepit) habet, Pergam turbare porro.

Ut rectum versum efficeret, Bothius coniecit:

Sicút mi habet. verum útuti sese rés habet,
Pergám turbare porro.

Sic scripsit Bothium secutus Ritschelius.

Mihi magis placet, quod idem Ritschelius in adnotatione proposuit, et quod in textum recepit Lorenzius:

,Sicút me habet *nunc.* vérum utut res sése habet,
Pergám turbare pórro.

Hac enim emendatione servatur ordo verborum ,utut res sese h.', qui omnibus libris confirmatur. —

Pseud. 310. — Truc. 894. Utut illud acceptumst, prius quod perdidi, hoc addam insuper. — Vulgo quod legitur (V, 2) ,acceptum sit' recte emendatum est a Goellero. (cf. etiam Holtzium l. c. p. 116).

b) Interponitur. Poen. 833. qui habet, quod det, utut homost, Omnia genera recipiuntur. (*ut* libri) ,utut' e coniectura Gulielmi scripsi cum Goetzio Loewio.

c) Sequitur. Amph. 1100. Iam istuc gaudeo, Utut me erga meritast. — ,me erga' transposuit Schmidtius, de pron. dem. forma p. 75, librorum ,erga me', quem sequor cum Goetzio Loewio.

d) Opponitur in enuntiato primario *tamen:* Cist. I. 1, 111. útut erga me est méritus, mihi cordíst tamen. Muellerum enim sequor in scribendo hoc versu, qui pros. p. 349 legi vult:

,Inclamare eum. (,Eum inclamare' libri) útut erga me sqq.' probante Brixio in Fl. ann. 123 (a. 1881) p. 53. ,med' pro ,me' posito Ritschelius hunc versum sanavit.

In exemplis adhuc allatis utraque enuntiatio affirmativam formam praebet, negativam habet enuntiatio primaria in his exemplis:

Amph. 397. Verum utut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen. — (ut ut BDZ ut JF ut uites *ut videtur* E) Bothium([1]) secutus pro ‚es facturus' Fleckeisenus scripsit ‚facturu's'. — Merc. 558. Verum hercle postremo utut est, non ibo tamen. — (ut ut BC).

Apud Terentium his tribus locis legitur ‚utut':

Opponuntur in sententia principali

1. *certe:* Phorm. 468. Nam utut erant alia, illi certe, quae nunc tibi domist, consuleres. —
2. *tamen:* Heaut. 200. utut erat, mansum tamen oportuit. — Phorm, 631. Sed utut (ut AD) haec sunt, tamen hoc faciam. —

Sententia principalis affirmativa in exemplis allatis, affirmativa sententia secundaria est.

Temporum et modorum ratio est haec:

I. In utroque membro legitur *indicativus.*

a) *praesens:* tempus est in secundario, in principali enuntiato

1. *perf.:* Pseud. 310.
2. *fut. I:* Most. 545. Merc. 558. Phorm. 531.

b) *praes.:* coniugationis periphrasticae.

fut. I: Amph. 397.

c) *perf.:*

1. *praes.:* Amph. 1100. Cist. I. 1, 111.
2. *fut. I:* Truc. 894.

d) *imperf.:*

perf.: Heaut. 200.

II. In enuntiato secundario est *indicativus imperfecti,* sequitur in primario *cuniunctivus imperfecti* (‚coni. potentialis der Vergangenheit' cf. Dziatzkonem ad Phorm. 468, 297): Phorm. 468.

Quamquam.

Haec particula ter et quinquagies invenitur apud Plautum et ita quidem, ut locis quadraginta sex vere concessivam habeat significationem, septem locis idem indicet, quod Graecum *καίτοι,* nostrum ‚gleichwohl, freilich'.

Indicativum omnia praebent exempla:

A. De ,quamquam' particula notione ,obgleich'.

1. Praemittitur sententia concessiva. Asin. 78. Quamquam illum mater arte contenteque habet, Patres ut consueverunt: ego mitto omnia haec. Asin. 831. quamquam ego istanc amo, Possum equidem inducere animum, ne aegre patiar, quia tecum adcubat. — Sic libros secutus scripsi cum Goetzio Loewio. Neque enim est, cur cum Fleckeiseno in v. 831 ,ego quamquam istam amo' cum Weisio in v. 832 pro ,quia' ,quod' scribas. — Aul. 680. —

Casin. II 3, 45. At quamquam unicust, Nihilo magis ille unicust mihi filius, quam ego ei pater. — ,ille unicust' scripsi cum Gepperto; in codicibus legitur ,unicus est ille mihi (mihi ille P)' teste Gepperto. — Cist. I 1, 108. — Mil. 1231. Quamquam illum multae sibi expetessunt, Ille illas spernit segregat ab se omnes extra te unam.

In v. 1231 Muellerus pros. p. 337 transponendum esse existimat ,multae illum'. — In v. 1232 ,spernit segregat' cum Brixio asyndeton esse volui, quod fuisse hoc loco e scriptura codicum intellegitur, qui praebent: ,s. segregat hasce' CD ,s. segregat hec' B ,s. segregat ab se' FZ. cf. Brixium ad Trin. 243[3]. — Mil. 1319 — codd. habent: Ibo quamquam invita facio omni pietas sit eo chant sapis CDF omni pietas scio Pl: chant sapis B. omnia. pietas sic cohibet. Pl. sapis Z

Cum Lambinus ,pietas sic cogit. Pl. sapis' Acidalius ,pietas sicce iubet. Pl. sapis' proposuissent, Ritschelius emendavit:

Ibo. quamquam invita facio, pietas consuadet. Pl. sapis' vel ,at pietas consuadet'. Qua in re illud mihi non probatur, quod neglectis codicibus Ritschelius cum Gulielmo ,omni' vel ,omnia' prorsus delevit.

Iam quod in Iahnii annalibus (tom. 79 p. 708 [1])) coniecit Klotzius ,quo pietas iŭbēt. săpīs', recte eum refellit Brixius (Mil. glor. 1875 p. 155).

[1]) Ad Klotzii coniecturam adnotat Fleckeisenus, ,facio' glossema eiciendum et scribendum esse ,Ibo quamquam invita; at enim mi pietas sic suadet. | sapis'. — Sed nullo loco neque Plautino neque Terentiano is particulae ,quamquam' usus invenitur, ut ea cum nominibus, participiis, aliis enuntiati partibus verbo omisso coniungatur.

Longius aberrant a libris coniecturae Muelleri (,Nachträge' p. 137) ,hoc pietas ni subigat' Madvigii (adv. crit. II p. 10), ni pietas cogat', denique Ribbeckii, qui cum in rh. mus. t. XII. p. 610 emendasset ,enim pietas sic dominast' in rh. mus. t. XXIX. p. 21 scribendum duxit: ,quamquam invita facio, enim pietas sic hortat', quae quam non ferri possint, Langenus demonstrat (,Beitr.' p. 269). — Maxime mihi probatur quod ipse Langenus profert (l. c.) ad sanandum versum. Latere putat vir doctus in ,chant sapis' quae verba Pleusicli tribuuntur in codice B (CDF), ,quam sapis' et verba ,omni pietas scio (sit eo)' e coniectura Brixii (Fleckeisen. ann. 1870 p. 772) ,impietas sit, nisi eam' legi vult: ,impietast, nisi eo' — quod et ad codices prope accedit et ad sententiam accommodatum est. Quare scribo cum Langeno:

,Ibo. quamquam invíta facio, impíetast, nisi eo. Pl: Quám sapis'. — Merc. 287 sq. Quamquam negotiumst, si quid veis, Demipho, Non sum occupatus umquam amico operam dare. (UEIS A, vis *reliqui*). — Pseud. 372 sqq. Verum quamquam multa malaque dicta dixistis mihi | .... (375) posse opinor facere me officium meum.

In versu 372 libri cum A ante vocem ,dicta' habent verba ,in me', quae iure delevit Ritschelius. — Pseud. 786.

Pseud. 1050. Atque edepol quamquam nequam homo's, recte mones. — Pro ,atque', quod suspectum est etiam Ritschelio, Bothius scribi voluit ,Atqui'. — Poen. 515 sqq. Heus tu, quamquam nos videmus tibi plebeii et pauperes, Si nec recte dicis nobis, dives de summo loco, Divitem audacter solemus mactare infortunio. — Cum Goetzio Loewio in v. 515 ,plebeii' scripsi — codd. enim praebent: plebeii B. plebeu C plebei FZ — et voculam ,et' retinui, quam delet Geppertus. — Pers. 615. quamquam ego serva sum, Scio ego officium meum, ut quae rogitet, vera ut accepi eloquar. — In v. 616 ,rogiter' Gruterus proposuit pro ,rogitet'. — Rud. 1041. — Ib. 1043. —

Trin. 841. Pol quámquam domi cupio ópperiar:
Quam hic rém gerat, animum advórtam.

In describendis his versibus cum Brixio codicem A secutus sum; quamquam in altero versu A habet ,..m agat gerit'. ,rem agat simul animum advortam' exhibet B; ,quam hic rem gerat' est in libris EbFZ. Horum scripturam recepi cum Brixio, illius Ritschelius et Fleckeisenus in textu posuerunt. — Truc. 780. Quamquam vos colubrino ingenio ambae estis, edico prius. — ,ambae' librorum, quod cum Schoellio scripsi, supervacaneum esse censet Muellerus pros. p. 589. — Ib. 922. Quamquam ego tibi video stultus, gaudere aliqui me volo. — Spengelium, qui ,nam quamquam' scripsit contra versum et sententiam, refutavit Schoellius. Sed quod idem Schoellius proposuit ,tibi ego', non opus est ordinem verborum mutari. — Ib. 923. Quamquam es bella, malo tuo's, nisi nunc ego aliqui gaudeo. — Sic Schoellius. Quod in initio versus libri habent ,nam', recte delevit iam Acidalius (divinat. et interpret. Plaut. p. 555); *es* ex *est* codicum eruit Saracenus, Acidalius ,tuo' in ,tuo es' mutavit. ,nisi nunc ego' debetur Schoellio. Sed ,nunc' parum significanter dicitur. Quare, cum in libris legatur ,nisi tu ego', nescio an non praestet, quod Saracenus legi vult: ,nisi tecum ego'. —

Truc. 934. — Codices exhibent: Quamquam hię quali est B qualis est CDL squalidus est Z quã (quam L quamquam Z) hic horridus citus bellum (bellũ B) hi BCD. — Atque in ,quali est' vel ,qualis est' latere ,squalust', recte vidit Seyffertus, philol. XXVII. p. 473 —. Sed quod idem ex ,horridus citus' fecit ,horridiusculust' astipulari ei non possum, nec magis Spengelio, qui exhibet ,horret scitus'.

Rectius videtur Schoellius, deleta voce ,quã' vel ,quamquam' scribere ,horridus tibi', praesertim cum probabiliter Lipsius verba ,citus bellum hi' emendet ,scitus bellus'st mihi', quae tamen malim cum Schoellio transponi, ,scitus est bellus mihi'.

Quare scribo cum Schoellio:

Quámquam hic squalust, hórridus tibi, scítus est, bellús mihi.

Plaut. fragm. Cistell. 39 (Weise).

Quamquám vetus canthérius sum, míhi nunc ut ego opínor,
Adhínnire equolam póssum ego hanc, si détur sola sóli.

In exemplis allatis utraque pars affirmativam praebet formam, negativus est primariae enuntiationis sensus praeter Cas. II 3, 45, Merc. 287, de quibus supra scripsi, in his exemplis:

Pseud. 170. Quamquam égo vinum bibo, mándata hau consuévi simul bibere úna. — Sic hunc versum restituit Ritschelius, quem vide ad h. l. et prolegg. ad Trin. p. CXLVII. — Pers. 337 sq. — Restat unum exemplum Rud. 686. — codd. exhibent: Mihi mortis metus membra occupat edepol TR: Etsi hoc acerbum, Bonum animum habete.

Particulae ,etsi' in versu 686 locum non esse, versus docet. Fleckeisenus, ut versui medelam afferret, ,etsi' in ,quamquam' mutavit.

Sed nescio an non potius scribendum sit ,tam etsi'. Syllaba enim ,tam' post personae signum ,Tr.' quam facile excidere potuerit, in promptu est.

Tum nec ,acerbum' dici, cum ,etsi' neque apud Plautum neque apud Terentium omisso verbo cum adiectivo coniungatur, nec particulam ,edepol' in fine sententiae positam fuisse, cogitari ullo modo potest.

Quare recte scribitur ,acerbumst', iure ,edepol' tribuitur Trachalioni a Fleckeiseno.

Itaque scribendum esse puto in hunc modum: ... ,Mihi mórtis, metus membra óccupat. Fr. Edepól tam etsi hoc acérbumst, | Bonum ánimum habete.

2. Sententia concessiva interponitur. Bacch. 1172. Ni abeás, quamquam tu bélla's malum tibi mágnum dabo iam Ba. Patiar.

,bella es' libros secutus scripsi cum Ritschelio et Fleckeiseno, ,es bella' Hermannus legi vult.

In describendo hoc versu Ritschelium secutus sum. Codices BC hanc praebent descriptionem:

,Ni abeás quamquam tu bélla es
Malum tíbi magnum dabo iám. Ba. patiar'.

Qua usi sunt Studemundus, de cant. p. 54. Muellerus l. c. p. 122. — Merc. 800. Uxor, heus uxor, quamquam tu irata's mihi, Iubeas, si sapias, haec hinc intro auferrier. —

In v. 801 vocula hinc, quod in libris deest, Pyladi debetur. Qui tamen scripserat ,haec intro hinc', quod commode correxit Ritschelius ,haec hinc intro', nam in tali similium verborum collocatione sibi placet Plautus. cf. Mil. 418: ,haec hinc huc' transire potuit Cist. I 1, 106 ,hanc hoc'.

Rud. 1045 sq. Sério edepol, quamquam vos quae voltis cupio, múlieres
Métuo propter vós mea uxor né me extrudat áedibus.

Sic dedi cum Fleckeiseno[1]) hos versus. — Truc. 317. Verum ego illum, quamquam violentust, spero inmutari pote Blandimentis. — In fine versus 317 codd. praebent: ,potest'. Ex hac lectione, quae sensu prorsus caret, quamquam eam post alios defendit Bokschius (de casuum attractione apud Plaut. et Ter. Vratisl. 1865 p. 35 sq.), recte videtur eruisse, quod cum Schoellio in textu posui, ,pote' Kampmannus (de ,ab' praepos. usu Plaut. Vratisl. 1842. p. 11 adn.)

3. Sequitur enuntiatio concessiva. Asin. 710. Adsta ut descendam nunciam in proclivi, quamquam nequam es. — Casin. III 6, 7. — Cist. II 3, 83. — Bacch. 1152. Meum pensum ego lepide adcurabo, quamquamst, mortem amplexari. — Codices praebent ,quam odiosum est', quod Bothius mutavit in ,quamquam odium est'.

Magis vero mihi probatur emendatio Hermanni, qui voce ,odiosum' prorsus deleta[2]) proposuit ,quamquamst mortem amplexari'. Hermannum sequor cum Ritschelio.

Men. 1048. — Poen. 638 sq. Quia nos honoris tui causa ad te venimus, Quamquam bene volumus leniter lenonibus. — Versum 638 secundum codicem A scripsi cum Goetzio Loewio. Libri praeter A habent ,huc ad te', unde profecti Bothius omisso verbo ,tui' ,honoris causa huc ad te', Ussin-

---

[1]) In v. 1046 codices habent: ,vos ne uxor mea me extrudat' nec recte verba ,mea me' a Fleckeiseno dirimi mihi videntur cum Muellero l. c. p. 747. Fortasse scribendum est: ,vós ne uxor mea méd extrudat áedibus'.

[2]) Similiter in Heaut. versum 1006 irrepsisse vocem ,odiosa' in codice A, Umpfenbachius auctor est, quem vide ad h. l.

gius cum Weisio omisso ‚te' ‚honoris tui causa huc advenimus' legi volunt.

Versum 639, male iteratum post v. 622 in libris BCDFZ, hoc loco deleverat Acidalius. — Poen. 858. —

Trin. 270 sq. Cérta res ést ad frugem ádplicare ánimum:
Quámquam ibi grándis animó labos cápitur.

Metrum sic secundum codices constituit Studemundus (de cant. plaut. p. 22).

In versu altero codices praebent: ‚ibi animo labos grandis' BCDEaZ. tibi anime labos grandis EbF. ibi labos grandis A. — Ritschelius transposuit ‚ibi grandis animo labos', quem cum Fleckeiseno secutus sum. Brixius scripturam codicum BCD recepit.

Trin. 1112. Hic méo ero amicus sólus firmus réstitit
Neque démutavit ánimum de firmá fide,
Quamquám labores múltos ob rem et líberos
Abséntis mei eri eum égo cepisse cénseo.

Sic hos versus restituit Ritschelius pererg. I. p. 556—63, quem Brixius et Fleckeisenus secuti sunt. — Truc. 910. —

4. Opponitur in enuntiato principali a) *tamen.* Asin. 497. — Casin. II. 6, 69. Intro abi et quamquam hoc tibi aegrest, tamen fac adcures. — ‚Tam' scripsit pro ‚tamen' Bothius, quem Braunius laudat l. c. p. 46. — Cist. III. 3. Quamquam invita te carebo, animum ego inducam tamen Meum, ut illud, quod tuam in rem bene conducat, consulam. ‚Meum' in v. 4, quod non legitur in libris, scripsi ex emendatione Bothii. — Mil. 1354. Quamquam alios fideliores semper habuisti tibi Quam me, tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium. — In v. 1355 ‚tam' pro ‚tamen' restitui vult Fleckeisenus consentiente Braunio l. c. p. 46. — Poen. 196. — Curc. 465. —

Trin 259.: Quamquam íllud est dulce, ésse et bibere, amór
amari dát tamen.
Satís quod sit aégre.

Descripsi hos versus ita ut octonarium iambicum sequeretur dim. bacch. acat. cum Brixio, quem vide ad h. l. Trin.[3] p. 136.

‚amari' Ritschelio debetur, libri habent ‚amara'.

In exemplis allatis sententia primaria affirmativam formam habet, sententia secundaria negativam his solis locis: Poen. 858. Curc. 465. Cist. II. 3, 83. —

Negativum est enuntiatum principale hoc loco:
Stich. 720. quamquam gravatus fuisti, non nocuit tamen.

Inverso ordine. Poen. 536. Sed tamen quom eo quom quiqui, quamquam sumus pauperculi, Est domi quod edimus. — Verba ‚quom eo quom quiqui' (B) vel ‚quo meo cum cui quam quam' (CD) sensu prorsus carent nec adhuc, quamvis multi in sanando hoc loco versati sint, (cf. Goetzium Loewium ad h. l.) satis probabiliter emendata sunt.

b) *verum tamen.* Inverso ordine. Pers. 345. verum tamen, Quamquam res nostrae sunt pater pauperculae, Modice et modeste meliust·vitam vivere. — In his duobus exemplis utraque enuntiatio affirmativa est. —

Non recte videtur scribi ‚quamquam' ab Ussingio Aul. 102. — codd. praebent: Nam ad aedis nostras numquam adiit quāquā prope DEJFZ quāquā prope ē B. Iam in explananda codicis B lectione varie versati sunt viri docti (Lambinus, Lomanus, Seyffertus, Ussingius), sed quomodo teneri possit illud ‚quamquam prope est' ego quidem non video. Quare astipulor Wagnero, qui in editione h. f. (Cantabrig. 1866) Pyladem secutus scripsit ‚numquam adiit quaquam prope', quae scriptura et reliquis praeter B libris commendari videtur et a Camerario ex ‚veteribus editionibus' commemoratur.

Cum Wagnero facit etiam Goetzius. Iam scribo hunc versum cum Wagnero:

Nam ad aédis nostras númquam adiit quaquam prope.

Nam quod pro ‚adiit' ‚adit' ex Langianis Bothius scribendum esse duxit, Goetzius pro ‚numquam' in textu posuit ‚nusquam', opus esse his emendationibus non existimo.

Apud Terentium particula quamquam notione ‚obgleich' his quattuor locis exstat.

1. Praemissa enuntiatione secundaria. — Sententia principalis negativam formam praebet: Ad. 159. Quamquam est scelestus, non committet hodie umquam iterum ut vapulet. —

Utraque enuntiatio affirmativa est in reliquis exemplis.

2. Adiuncta sententia concessiva. Ad. 205. Id quoque possum ferre, si modo reddat, quamquam iniuriumst. — ,si modo' codices secutus scripsi cum Umpfenbachio; ,modo si' transposuit cum Guyeto Bentleius, quod in textum receperunt, Fleckeisenus, Dziatzko.

3. In enuntiato primario opponuntur: a) *tamen*. Heaut. 53 sqq. Quamquam haéc inter nos núper notitia ádmodumst | . . . Tamén vel virtus túa me vel vicínitas | . . . Facit út te audacter móneam et familiáriter . . — b) *verum tamen*. Eun. 172 sqq. Quamquam illam cupio abducere atque hac re arbitror Id fieri posse maxume: verum tamen, Potius quam te inimicum habeam, faciam ut iusseris. —

Modorum et temporum ratio est haec:

I. In utraque enuntiatione est *indicativus*.

Tempus est

a) *praesens* in secundario enuntiato, in primario

1. *praes.*: Asin. 78; 831. Casin. II 3, 45. Cist. II 3, 83. Cist. fragm. 39 (Weise). Mil. 1231; 1319. Pseud. 786; 1050. Poen. 515; 536. Pers. 345; 615. Rud. 1043; 1045. Trin. 259; 270. Truc. 317; 780; 922; 923; 934.
Heaut. 53. Ad. 205.

2. *perf. (praes.)*: Merc. 287. Pers. 170. Trin. 1112.

3. *fut. I*: Curc. 465. Bacch. 1152; 1172. Men. 1048.
Trin. 841. Poen. 196.
Eun. 172. Ad. 159.

4. *fut. II*: Poen. 858.

5. *imperat.*: Asin. 710. Cas. II. 6, 69; III. 6, 7. Truc. 910.

b) *perf.*:

1. *praes.*: Pseud. 372. Poen. 638. Asin. 497.

2. *perf.*: Stich. 720.

c) *plusquamperf.*:

praes.: Aul. 680. Mil. 1354 sq.

d) *fut. I:*

fut. I: Cist. I. 1, 107; III. 3.

II. *Indicativus* legitur in enuntiato concessivo, in primario *coniunctivus.*

Tempus est *praesens* in utroque membro.

Pers. 337 (coniunct. potent; sic A, rell. praebent indicativum). Rud. 1051 (coni. imperat.) Merc. 800 sq. (coni. potent.)

B. De particula ,quamquam' notione ,gleichwohl, freilich'.

Ea exempla, in quibus haec particula idem valet ac Graecum *καίτοι*, nostrum ,gleichwohl', apud Plautum sunt omnino septem.

Apud Terentium nullum eius modi exemplum inveni.

Plauti exempla sunt haec: Capt. 272. Proxumum quod sit bono quodque a malo longissume, Id volo: quamquam non multum fuit molesta servitus. — Ib. 298. — Trin. 787. —

Aul. 120 sqq. Velím te arbitrári med haec verba fráter,
Meái fidéi tuáique réi
Causá facere, ut aéquomst germanam soróren:
Quamquam haúd falsa súm nos odiósas habéri.

In describendis constituendisque his versibus Goetzium secutus sum. — Poen. 621 sq. Aetoli cives te salutamus Lyce: Quamquam salutem ferimus inviti tibi. — Libri praebent in v. 622 ,hanc salutem', pronomen ,hanc' eiecit Bothius. — Qui post hunc (622) in libris sequitur versus: ,Et quamquam bene volumus leniter lenonibus' ex inferiore (v. 639 cf. p. 40) huc illatus est; quem deleverunt Bentleius Bothius. —

Adiciendus est his exemplis unus locus Casin. II 6, 12. animum advortite, Quamquam ego censui abs te posse hoc impetrare, uxor mea — si quidem recte a Gepperto ,atque', quod est in libris, in ,quamquam' mutatum est.

Sequente particula ,tamen' ponitur ,quamquam' notione ,gleichwohl'[1]) Amph. 491. Quamquam ut iam dudum dixi,

[1]) cf. Holtze l. c. p. 389. — ,etsi .. tamen' Heaut. 119.

resciscet tamen Amphitruo rem omnem. — Hunc tamen locum in suspicionem vocat Langenus l. c. p. 43, qui propter versum 491 spurios esse putat versus 476—495; consentiunt cum Langeno Goetzius Loewius in ed. h. f.

Quamvis.

Particula ,quamvis' tredecim locis invenitur apud Plautum. Concessivam notionem habet duobus tantum locis sequente coniunctivo. Ceteris locis ad vim augendam additur adverbiis vel adiectivis et idem valet ac ,gar sehr'.[1])

Atque primum quidem de eis locis disseram, ubi particula quamvis' notionem habet ,gar sehr'.

1. Particula quamvis cum adverbiis coniuncta est:

Epid. 16. audacter quamvis dicito. — Stich. 719 ,q. desubito'.

Bacch. 339. Ab eo licebit quamvis subito sumere.

Most. 411. Quamvis desubito facilest facere nequiter.

Merc. 726. Si innoxius — L: Audacter quamvis dicito.

Sic libros secutus cum Goetzio (Merc.[2]) scripsi, nisi quod librorum lectionem ,Scio innoxius' ex Bothii emendatione in ,Si innoxius' mutandam esse censui cum Ritschelio, Goetzio. — Trin. 380. Multa ego possum docta dicta quamvis facunde loqui. — Sic scribo cum Brixio, quem vide ad h. l. p. 138[3]. Codices habent ,dicta et quamvis f. l.'

Codice B traditur ,quamvis' etiam Mil. 615, ubi hanc particulam in textu posuit Ussingius.

Malo tamen cum Ritschelio, Fleckeiseno, Brixio scribere: ,Loquere lepide et commode'.

2. Cum adiectivo coniuncta est his locis: Men. 318. Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest. — Merc. 687. Quamvis insipiens poterat persentiscere (Quam vis B. quam rell. QUAMUEIS A.). Pseud. 1175. quamvis pernix hic est homo. — ,hic est homo' cum Ritschelio scripsi secundum

[1]) cf. Brix. adn. ad Trin. v. 380. — Kühner l. c. p. 961. Lorenz. adn. ad Most. v. 396 (1866). Sed quod Lorenzius dicit, cum adiectivis saepius quam cum adverbiis coniungi hanc particulam: septem omnino apud Plautum exstant (omisso Most. v. 852 [vide infra]) adverbiorum, sex adiectivorum exempla.

codd. BCD. Bothius transposuit: ‚hic homo est'. — Rud. 373. — Trin. 797. —

Exemplis allatis addendus est unus locus Most. 852, ubi quamquam in codicibus scripta non est quamvis particula, certa tamen emendatione ea mihi videtur restituta esse Friderici Leo in Herm. vol. 18 p. 567. —

Codd. exhibent: Tam placida est ‚quam . . a qua. vis . ire' (erasis litterulis puncto notatis) Ba.

quam est aqua vise ire Bb.
quam feta qua vis eire C.
quam feta quaviscire D intro audacter licet.

Atque Ritschelius collato h. f. v. 751 scripsit:
Tám placidast quam plácidast aqua. vise: íre intro audacter licet.

Buggius in editione h. f. (Krist. Berol. 1873) emendavit:
Tam placidast ea quam est aqua. quoivis ire intro audacter licet.

Sed recte videtur Leo collatis Mil. 664, Stich. 530, aliis demonstrasse, quam non significanter hoc loco a Ritschelio ‚aqua placida' posita esset pro mari tranquillo mutove; quod multo magis cadit in coniecturam Buggianam, ‚quam est aqua'.

Praeterea offensionem in Ritschelii emendatione habet verbum ‚vise', de quo ipsi Ritschelio scrupulus residere videbatur et quod non apte positum esse idem monet Leo.

Itaque Leo Acidalii huius loci sanandi rationem secutus — scribi enim voluit vir ille doctus ‚tam placidast quam est ovicula' — proposuit: Tám placidast quamst ágna: quamvis eíre intro audactér licet'.

Quae emendatio et ad codicis Ba lectionem proxime accedit et ad sententiam plane accommodata est.

Habemus igitur hoc quoque loco exemplum particulae quamvis notione ‚gar sehr' cum adverbio coniunctae. cf. p. 44.

Tum particula ‚quamvis' sequente coniunctivo posita est in concessiva enuntiatione his locis:

1. Particula ‚quamvis' coniungitur cum adverbio. Bacch. 82. Locus hic apud nos, quamvis subito venias, semper liber

est. — 2. cum adiectivo. Trin. 554. Quamvis [1]) malam rem quaeras, illic reperias. — Libri cum A praebent ,quaeras' praeter cod. B, qui ,quaerens' habet. Hoc cum vulgata Weisius in textu posuit, quocum consentire non possum.

Coniunctivus in utroque exemplo est praesentis, in enuntiato primario sequitur indicativus praes.: Bacch. 82. coniunctivus praes.: Trin. 554.

Tum inde, quod in utroque exemplo coni. sing. pers. II. legitur, apparet, Plauti temporibus etiamtunc sensu percepisse Romanos particulae quam — vis partes.[2]) Quare fortasse rectius in Plauti fabulis divisim scribitur ,quam vis' — cf. Leo. l. c. — praesertim cum Merc. 726; 687 BC ,quam vis' non ἴφ ἕν scriptum exhibeant, Stich. 719 in codd. BC ,quam vide subito' pro quamvis desubito exstet.

Apud Terentium semel in libris legitur particula ,quamvis': Ad. 279. Ne tam quidem: Quamvis etiam maneo otiosus hic. —

Sic codices-nisi quod cod. A exhibet ,maneo etiam' — et codices secuti Fleckeisenus, Umpfenbachius.

Sed rectius videtur Dziatzko (Ad. 1881. p. 101), cum nec verba ,ne tam quidem' satis probabilem interpretationem admitterent, nec, quomodo ,quamvis sqq.' diceretur, expediri posset, Donatus autem, qui ,quamvis' explanaret ,in quantum vis', in libro suo ,quam vis' legisse videretur, e coniectura Madvigii (adv. crit. II p. 20) scripsisse: ,Non tam quidem
Quam vis; etiam maneo otiosus hic.

Qua de causa particulam ,quamvis' a Terentio non usurpari statuendum est.

Pars III.

De enuntiatis concessivis alia ratione formatis.

In sermone latino sententiam concessivam formari posse particulis ut (,concessivum'), ,quom' ,licet' notissimum est.

---

[1]) cf. Brix. ad h. l.
[2]) cf. Truc. 571 ,Des quantum vis' sqq.

Aliter tamen res se habet apud Plautum et Terentium. Nam particula ,ut' concessive usurpatur neque apud Plautum neque apud Terentium, verbo ,licet' ad formandam sententiam concessivam Plautus usus est *semel* Terentius numquam: Particula ,quom' vice fungitur coniunctionis concessivae apud utrumque et ita quidem, ut apud Plautum *undeviginti, quattuor* apud Terentium exempla hunc usum probent.

Licet.[1])

Verbum ,licet' sententiam concessivam exhibet ita ut, sequente coniunctivo praesentis in enuntiato secundario, ,tamen' in primario opponatur, apud Plautum hoc loco: Asin. 718. Licet laúdem Fortunám, tamen ut né Salutem cúlpem.

Sic secutus codices scribo hunc versum cum Mohrio (de septen. iamb. (Lpzg. 1873) p. 10).

,Licét Fortunam laudem' transposuit Fleckeisenus adversante etiam Muellero (pros. p. 116).

Quom.[2])

Hanc particulam sensu concessivo Plautus adhibuit locis undeviginti, sedecim locis sequente indicativo, tribus sequente coniunctivo.

Artissime cohaeret haec vis concessiva particulae ,quom' cum ea notione temporali, qua quid tamdiu, quamdiu aliud quiddam fiat, esse indicat haec particula. Quod luculentissime apparet ex Aul. 113.

Nam nunc, quom celo sedulo omnes ne sciant, Omnes videntur scire. —

---

[1]) cf. Hand. III p. 543—546.

[2]) cf. Lübbert, Syntax von quom und die Entwickelung der relativen Tempora im älteren Latein (Bresl. 1870) p. 121—123. Holtze l. c. p. 127. — Qui tamen falso § 6 d exemplum particulae ,quom' concessiva significatione cum indicativo iunctae affert: Stich. I 2, 43 (99) ,Bonas ut aequomst facere facitis, *quom* tamen absentis viros | Proinde habetis quasi praesentis sint'. Ubi ,quom' explicative usurpatum, ,tamen' autem oppositum est participio ,absentis', quod enuntiationis concessivae vice fungitur. — ib. pg. 181. —

Item ex eis exemplis, in quibus ad vim concessivam augendam ‚etiam' additum est particulae ‚quom': Capt. 255/6; 891. Rud. 1124. —

Opponitur in enuntiato principali ‚tamen'.

a) Indicativi exempla sunt haec:

1. Praemissa sententia concessiva. Aul. 113. — Capt. 256. Etiam quom cavisse ratus est, saepe is cautor captus est. — Recte tamen videtur Buechelerus hunc versum delevisse. — Fl. ann. a. 1869 p. 536 —, quocum facit Brixius in adnot. crit. ad h. v. (253) p. 91[3]. — Pseud. 297. Qui suom quom repetunt, alienum reddunt nato nemini. — ‚quom' deest in libris et in textu positum est a Ritschelio, quem secutus est Luebbertus l. c. adversante Brixio in Fl. ann. t. 101. p. 426. — Poen. 235. — Truc. 888.

Vérum quom multum ábstuli, mi hau muttum apparet, quód datumst.

Sic Schoellius hunc versum restituit. Libri praebent: Que cũ B quę cum CDLZ mutũ B mutum CD abstulimus au B aut CD haud LZ mutu BCD multum LZ apparet quod datũ est B Datum est CD.

Atque quod in initio versus coniecit Schoellius ‚Verum' mihi non displicet, praesertim cum in ultima voce versus antecedentis ‚aufero' codex B exhibeat ‚auferve', quod in codice C in ‚auferre' mutatum est.

‚Quia quom' vel ‚quamquam quom' Bothius proposuit ‚quod cum' Maehlyus in ‚Bl. f. d. bayr. Gymn. t. IX. (a. 1873) p. 125.

‚mutũ', quod in libris utroque loco legitur, recte videtur iam in LZ correctum esse ‚multum' utroque loco, nec probatur mihi Schoellii ratio, qui hic ‚multum' illic ‚muttum' legi vult.

Contra commode eundem ex ‚abstulimus au' librorum eruisse puto: ‚abstuli, mi hau', quod proxime accedit ad libros.

Minus mihi placent Seyfferti (philol. t. XXVII p. 471) ‚haud id', Muelleri (l. c. p. 514) ‚mox haud' Maehlyi ‚haud ita'. — Quare scribo: Vérum quom multum ábstuli, mi hau múltum apparet, quód datumst.

2. Interposita. — Truc. 192. Si illud, quod volimus dicitur, palam quom mentiuntur, Verum esse insciti credimus. — ,volimus' auctoritatem codicis A secutus in textu posui cum Schoellio; rell. praebent ,volumus'.

3. Adiuncta. Bacch. 1005. Sat sic suspectus sum, quom careo noxia. — Capt. 255. — Merc. 919 sq. ego stultior, Qui isti credam, quom moratur. — Codd. habent: Qui (B, Quid *rell.*) isti credam commoratur. — Ego Ritschelium secutus scribo ,quom moratur', quod praeferendum esse duco ei coniecturae, quam in adnotatione idem protulit: ,qui moratur et Ussingianae ,commoratori' correpta, ut ait, prima syllaba.

Faciunt cum Ritschelio Luebbertus l. c. p. 215 (Anhang), Langenus ,Beitr.' p. 176. — Rud. 378. —

Ex exemplis allatis tria praebent negativam formam in enuntiato primario: Bacch. 1139. Pseud. 297. Truc. 888, tria enuntiatum habent principale, cuius sensus negativus est: Capt. 255. Poen. 235. Rud. 378.

4. Opposita particula *tamen:* Sensus enuntiati primarii negativus est:

Stich. 745. Bene quom lauta, tersa, ornata, fictast, infectast tamen.

,lauta' ex ,lauta est' emendaverunt Scaliger, Guyetus.

Lectio ,infectast', quam Ritschelium secutus recepi, mutata est a Bothio in ,inficta est' secundum codicem F, defenditur tamen codicum BCDZ auctoritate.

Affirmativam sententiam principalem praebent haec exempla: Rud. 382. etiam, qui it lavatum In balineas, quom ibi sedulo sua vestimenta servat, Tamen subrupiuntur.

In v. 384 Fleckeisenus pro ,tamen' ,tam' restituit (cf. ep. crit. p. XV.) probante Braunio l. c. p. 46. —

Most. 858. Serví qui quom culpá carent, tamén malum metuont, hí solent esse éris utibiles.

In describendis versibus Studemundum (,Festgruss der philolog. Gesellschaft zu Würzburg an die 26. philol. Vers.' 1868 p. 55) secutus sum.

Pro ‚carent', quod secundum DcFZ scripsi cum Ritschelio, BCDab exhibent: ‚carint', quae forma quam non ferri posset, R. Schoellius ad Legis XII. tabul. rell. p. 87 docuit.

Hermannus, Elem. doctr. metr. p. 311 proposuit ‚caruint'. — Scribendum autem est ‚carent', praesertim cum etiam codex B in Men. versu 984, ubi hi versus in textu leguntur, ‚carent' habeat.

Inverso ordine: Stich 124. Quae tamen, quom res secundae sunt, se poterit gnoscere. — ‚gnoscere' Ritschelio debetur. Codd. habent: ‚cognoscere' A, ‚noscere' rell.

b) Coniunctivus exstat his locis:

1. Sequitur enuntiatum concessivum. Sententiae primariae sensus negativus est: Capt. 892. An tu dubium habebis etiam, sancte quom ego iurem tibi?

2. Opponitur *tamen*; enuntiatum concessivum negativum est:

Rud. 1124. Vidi petere miluom, etiam quom nihil auferret, tamen.

Utraque sententia affirmativa est:

Rud. 534. Uti, quom exivissem ex aqua, arerem tamen.

Apud Terentium particula ‚quom' concessive usurpatur locis quattuor et ita quidem, ut indicativus semel, ter coniunctivus sequatur.

a) Indicativus sequitur.

Praemittitur sententia concessiva et opponitur in primaria *tamen*. Utraque pars negativa est.

Eun. 243. Omnia habeo, neque quicquam habeo: nihil quom est, nihil defit tamen.

b) Coniunctivus sequitur.

1. Interponitur sententia concessiva.

Phorm. 822. Quam scitumst, eius modi in animo parare cupiditates,
Quas, quom res adversae sient, paulo mederi possis!

2. Adiungitur sententia concessiva.

Phorm. 733. Quod ut facerem egestas me impulit, quom scirem infirmas nuptias | Hasce esse . . .

In his exemplis utraque sententia affirmativam formam praebet; negativam formam habet enuntiatum principale: Heaut. 711. —

3. Opponitur *tamen*. Heaut. 711. ut, quom narret senex Vester nostro esse istam amicam gnati, non credat tamen.

Modorum [1]) et temporum ratio haec est:

I. *Indicativus* legitur in utroque membro:

Tempus est

a) *praesens* in secundario enuntiato, in primario

1. *praes.:* Aul. 113. Capt. 255. Bacch. 1139. Most. 858. Pseud. 297. Poen. 235. Rud. 383. Truc. 192.
Eun. 243.
2. *perf.:* Bacch. 1005.
3. *fut. I:* Stich. 124.

b) *perf.:*

1. *praes.:* Truc. 888.
2. *perf.:* Capt. 256. Stich. 745.

c) *imperf.:*

perf.: Rud. 378.

II. *Coniunctivus* legitur in utroque enuntiato:

Tempus est

plusquamperfectum in secundario, in primario

imperf.: Rud. 534 (Structura huius loci pendet ex particula ‚uti').

Apud Terentium

in utroque membro legitur coniunctivus

praes.: Phorm. 822 (cf. Dziatzkonem ad h. l.) Heaut. 711 (ubi coniunctivus pendet ex particula ‚ut').

III. *Coniunctivus* exstat in enuntiato primario, in secundario *indicativus*.

Tempus est

praes. in utroque membro.

Merc. 920. — Coniunctivus pendet ex pronomine relativo.

---

[1]) Lübbert l. c.

IV. *Indicativus* in enuntiato primario legitur, in secundario *coniunctivus.*

Tempus est

a) *praesens* in enuntiato secundario, in primario

fut. I.: Capt. 891 (Coniunctivus est potentialis, cf. Brixium ad h. l.).

b) *imperfectum:*

perf.: Rud. 1124.
Phorm. 733.

VITA.

Natus sum Gustavus Hermannus Kriege Idibus Maiis anni h. s. LIX Portae patre Hermanno matre Clementina e gente Klingner, quorum ille praematura morte mihi ereptus est, hanc etiamnunc vivere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis elementis imbutus sum in progymnasio Leukopetrensi. Deinde cum in oppido Koesen Raabii institutione usus essem, scholae Portensis alumnis ascriptus sum. Unde testimonio maturitatis instructus vere anni LXXX Tubingas me contuli, ut studiis philologicis operam darem. Hic semestre, deinde Lipsiae tria semestria versatus, Halas transmigravi ibique universitatis civis fui per quattuor semestria. Per haec octo semestria audivi viros illustrissimos: Arndt, Biedermann, Brandes, G. Curtius, Dittenberger, Flach, von Gutschmid, Haym, Heinze, Hermann, Herzog, Heydemann, Hiller, Keil, Kugler, Lipsius, Pott, Ribbeck, Schum, Zacher, Zarncke. Per quinque semestria proseminarii et seminarii philologici exercitationibus interfui. Praeterea, ut societatibus Germanicae et philosophicae interessem, Zacher et Haym benigne permiserunt. Quibus viris omnibus gratiam habeo quam maximam.